

M. N. II, 119.  
h. v. 16.

X 1876088



DISSERTATIO  
DE  
PRINCIPVM  
GERMANIAE  
LEGATIONIBVS,

*Quam*

SUB PRÆSIDIO  
DN. PETRI MULLERIJ Cti,  
Professoris Publ. & Consiliarii  
Stolbergens.

*Publicæ ventilationi submittit*

AUCTOR

*HENRICH HARDOW. KNORN.*

ad d. Septembr. clō lōc LXXIIX.

---

JENÆ,  
TYPIS NISIANIS.



SERENISSIMO ET POTEN-  
TISSIMO PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO

J O H A N N I

FRIDERICO

BRVNSVICENSIVM AC LV  
NEBVRGENSIVM DVCI

LITTERATORVM PORTVI, PER-  
FVGIO, PRAEMIO

PATRI PATRIAE

IUSTO, PIO, FELICI

DOMINO MEO

CLEMENTISSIMO





QVOD MAGNITVDINE PRAEMIORVM  
ET SINGVLARIBVS  
PRINCIPALIS GRATIAE EXEMPLIS  
EO OLIM GENITOREM MEVM  
SVVMQVE SERVVM  
PROVEXIT  
VT MAJORA NE QVIDEM OPTARET  
MAGNAEQVE FORTVNAE FRVCTVS  
NON INTERCIDERENT CVM IPSO  
SED JVXTA POSTERITATEM EJVS  
ET SOLARENTVR ET BEARENT  
ACADEMICVM HOC STVDIORVM SPECIMEN  
INGENII NON MAGNI TENVIS FOETVS  
IN AETERNAE REVERENTIAE  
SINCERVM PIGNVS  
INQVE GRATI ANIMI EXILE MONVMENTVM  
VOTIVVM ANATHEMA  
ESTO.  
FLECTE HVC LVMINA  
AVGVSTE HEROS  
VT TVGVRIA QVOQVE ASPECTV TVO  
SERENENTVR

A 2

NON



NON TEMPLORVM MODO FASTIGIIS  
SOL ILLVCET

SED PRAETERLABENTES ETIAM RIVOS  
INTVETVR

ET IN HIS PLACIDO VVLTV  
BLANDITVR OCVLIS

QVOS ILLINC VEL REPERCVSSO FVLGORE  
PRAESTRINGIT.

PATERE TE ADORARI MAGNE PRINCEPS  
NON QVA RELIGIONE DIVINAM MAJESTATEM  
SED QVA PIETATE HVJVS IMAGINEM  
VENERAMVR

SVMMI NVMINIS INVIOLABILIS LEGATVS ES  
IN TE IGITVR TIMIDE COLENDVS

CVJVS MENTEM ORACVLIS LOQVERIS.  
TIBI SACRANDA MONVMENTA INGENIORVM  
QVAE INVSITATA MVNIFICENTIA FOVENDO  
COELESTIA AVT EXEQVERIS MANDATA  
AVT EXEMPLA AEMVLARIS.

FLECTE HVC OCVLOS ET IN PRINCIPIS LEGATO  
PRINCIPVM POTESTATEM  
AGNOSCE

EGO INTERIM RELIGIOSA PIETATE  
TIBI FELICITATEM, SALVTEM, IMMORTALITATEM  
ET IN TE PATRIAE  
HAEC VNIVERSA APPRECABOR

HENRICVS HARDOVICVS KNORN.





Q. D. B. V.

## PRÆFATIO.



Antea est L. B. presentis materie sublimitas, & conjuncta sublimitati magnitudo, ut ad eam prolixius exsequendam, imparem me omnino accessisse non diffitear. Scilicet id pulcherrimam ingresso controversiam usu venit, ut nisi ab ipso quod tractandum suscepi negotio quoddam quasi lumen mihi affunderetur, vix aliquid egregium preter tenebras in medium attulissem. Ventilabatur ea nuper in publico illo Europæi Orbis apud Noviomagenses confessu, referebatq; suos ad Galliarum Principem ortus, non Nostratum, quod quis existimet, mutua fortassis dissidia. Neq; enim sacrosancta libertatis Germanicæ jura ad modum hominis umbratici revocare, animus nobis unquam, sed verò procacius expendere, summa potius religio semper fuit. Quare sub operis adhuc primordium mecum colluctatum ipsa tandem confirmavit pro Principum Jure pugnantem Justitia æquisimo Augustissimi Cesaris, quo tam sublimibus Imperii membris libertatem suam sartam tectam publicis vindicavit literis, secundata auspicio. Elegantius verò, fateor, & accuratius multò, hæc de tam nobili argumento elaboranda fuisset commentatio; attamen cum vix id, quod destinatum erat, laboris

A 3

capes



capessenti, inopinata quaedam privata negotia Academia  
huic valedicere injunxerint; addo etiam, quod plurima  
non licuerit in argumento scriptionis nostrae pro arbitrio  
expromere, ne dicam, sine dispendio Juris publici facere,  
dabis veniam, L. B. qui non ex asse expectationi tuae for-  
tè satisfecerim, & si bonus es, hoc quantillumcunq; est,  
boni consules, id si abs Te impetratum sensero, nihil mihi  
majus videbor abs tua benevolentia consequi potuisse.  
Vale.

CAPUT I.  
QVIVD LEGATVS.  
QVOT LEGATORVM  
GENERA.

SUMMARI A.

1. Vocis Legati Etymologia & Synonymia.
2. Antiqua apud Veteres Romanos usitata Legatorum species.
3. Hodiernis moribus conveniens legatorum divisio.
4. Divisio ab intrinsecâ potestate.
5. Ab externo honore in Primi & Secundi Ordinis, It. Ordina-  
rios & Extraordin. 6. Quid Ablegatus & Residens.
7. Agentes quinam. 8. Ablegatos & Agentes quandoque etiam  
à summis Principibus mitti. 9. Nuncius quid.
10. Commissarius & Deputatus. 11. Ambasciator quis & unde  
dicatur.

I.

**L**egati voce in genere omnes illi veniunt, qui publicè lecti  
publicè etiam missi negotium publicum publicâ aucto-  
ritate peregrè agunt. (a) Quæ descriptio ex Etymologia  
vocis Legati desumpta generalem saltem ipsius proponit conce-  
ptum

(a) Frid. de Marselaër de Legat. l. 1. Diss. 2.



ptum. Derivari enim solet Legatus vel à *legando*, tanquam missus, vel etiam à *Legendo*, tanquam lectus seu electus ad publicum scilicet negotium peregrè expediendum. Alio nomine Legatos sæpè & *Nuncios* item *Oratores* (β) quod magis ore & sermone, quàm literis negotia tractare soleant, appellari reperimus. Hodierno verò stilo *Oratorum* præcipuè titulo honorantur *Imperatoris Romani ad Portam Ottomannicam* Legati, quò etiam missum Regis *Persia* Legatum Busbequius passim Oratorem vocat. *Venatorum* item ad Cæsarem & Pontificem Legati hoc nomine communiter veniunt apud *Gvicciardinum* & *Jovium* aliosque passim. Et licet hi ipsi Orationem non habeant, sed per alios loquantur, nihilominus tamen vocantur Oratores, qui Legationis totius caput & ἀπόστολον sunt. (γ) *Interpretis* quoque vocabulum apud antiquos quidem quandoque in hanc significationem trahitur: Verum latior est ejus significatio, & de modernis etiam moribus Legati Turcici & Persici præcipuè Minister, & tanquam lingua conducta est Interpreter, qui totus à sono & verbis Legati dependet. Quin etiam *Lenones* olim dictos fuisse Legatos, eleganter ex *Isiodori glossis* & antiquis manuscriptis *Dominus Strauchius* eruit. (δ)

II. Hæc itaque generalis Legati appellatio latissimè se extendens varia sub se comprehendit munia, pro diversâ qualitate & differentiâ diversis distincta nominibus; Qualia in antiquâ Romanorum republ. imprimis erant *Fecialis* & *Caduceatoris*, quorum illi, *Feciales*, à fide & faciendo nomen sortiti, nullo armorum præsidio muniti, nec satellitio stipati (ut scirent omnes, hos, quo minus ad offendendum instructi essent,

A 2

(β) *Vid. l. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ. R. U. in Nürnberg. 1524. in pr. R. U. in Regensb. 1527. S. nach dem auch ubi Oratorum in hoc sensu sæpè fit mentio.*

(γ) Ita etiam illos, de quibus *Virgilius* canit: *Centum Oratores augusta ad mœnia Regis ire jubet*, omnes & singulos perorasse, verisimile non est.

(δ) *Dissert. Exor. 7. tb. 4. Quemadmodum & apud Justinum lib. 2. cap. 3. legitur: Primus Scythis bellum indixit Vexoris Rex Ægypti, missis primo Lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent.*



eo majori scelere violari ) indicendorum bellorum munus obibant, quum prisca fides non pateretur inferri bellum, nisi prius hoc indictum esset; hi verò *Caduceatores* à Caduceo Mercurii virga dicti, mitti solebant ut de Pace agerent. Nostri temporibus imago duntaxat & Caduceatoris & Fœcialis in *Heraldo* ( ab *Heer* & *Ult* dicto, quod olim senioribus & gravioribus, præfectisque ludis Equestribus demandari hoc officium solebat ) superesse videtur. Hic enim ipse quoque externo habitu, veste nempe Principis sui insigniis picta Imperii dignitatem suam Personæ inviolabilitatem præ se ferre solet; Quamvis Heraldum illum A. 1663. Erfurtum missum Imperatoria insignia contra tumultuantis plebis lasciviam parum juvasse experientia docuerit. (e) Varia etiam Publica officia apud dictos Romanos Legationum nomine venere. Ita *Togati* erant *Legati Provinciales*, iidem ferè qui hodiè Commissarii; mittebantur enim cum Proconsule ceu Adjutores ejus in Provinciam, ut si quando Proconsul vellet alium pro se substituere, his & non aliis mandaret Jurisdictionem. (f) Similitudo quædam in hodierno Imperio videtur esse in *Electorum Secularium Vicariis*, qui ad insistendum absentium vestigiis Imperii suffragiis confirmati, idem sive munus, sive onus nequaquam possunt declinare. (g) Belli verò tempore noti erant *Legati militares*, ii que vel *Prætorii*, *Proprætorii*, *Tribunitii*, *Consulares*, *Proconsulares*, *Augustales*, & alii (h) quæ ipsa officia cum antiquo Statu Reipublicæ desinere; quamvis horum vicem hodiè sustinere videantur varia munera bellica, quæ adjecta voce *Lieutenant* / ut *Obrist-Lieutenant* / *General-Lieutenant* &c. denotantur. (i)

III. Verum satius erit misso antiquo illo Romano statu, quid nostris temporibus obtineat, penitus considerare. Ubi

repe-  
 .. Vid. Relatio Jacob Liders von Schwanau Reichs-Hevol-  
 den/wie es mit publication der Achts-Erklärung zu Erfurt herge-  
 gangen.

z. Dn. Struvius *Syntag. J. Civ. Ex. 4. S. 39.*

7. Limæus. *lib. 3. c. 7.*

8. Spangenb. in *Spec. Nobil. p. 1. lib. 8. c. 11. p. 173.*

9. Schönborn, *Polit. lib. 6. c. 15.*



reperimus, hodie quoque plurimis dignitate officii vel etiam nudis titulis discrepantibus tribui. Ut proinde ingeniosus ille sub Cæsarini Furstenerii nomine latens Scriptor ( $\nu$ ) Ministros publico nomine missos, primario tum ab *intrinseca potestate*, tum ab *adjectitio dignitatis honore* accuratissime distingvat.

IV. *Intrinseca potestas* consideranda venit, prout à Domino vel ad obeunda certa quædam ceremoniarum solennia (quam Legationis speciem *officiosam*, quod officii & honoris causa uti ad congratulandum, ad dolorem significandum, aut gratias agendum, &c. instituat, nonnulli vocant,) ( $\lambda$ ) vel ad certi cujusdam negotii tractationem, conceditur. Quo referri possunt *Legatio Pronuba* ad contrahendum pro absente Principe Matrimonium, *Legatio ob ineunda fœdera*, ob tractationem de *bello vel pace*, & similia. Est autem potestas illa tractandi vel *imperfecta & restricta*, (qualem habentes Ministros à certâ formâ & instructione, cujus ultra limites his progredi religio esse debet, *Formularios* quidam appellant ( $\mu$ ) qui omnia, quæ geruntur, saltim ad referendum Domino suo tenentur accipere) vel *plena perfecta*q, cum Legato concludendi negotii Jus datum est, quod *Mandatum cum libera*, sicuti & tali mandato instructus, *Plenipotentarius* vocatur. *Mandatum* verò *cum libera* tam primi, quam secundi Ordinis Legato committi potest. Unde Plenipotentarii nomen *non honoris* est, ita ut illo gaudens alio Legato characterem habenti opponatur, sed *potestatis*, ita ut in eodem Legationis gradu, in quo Dominus ipsum constituit, permaneat, & saltim quousque se mandatum extendat, per Plenipotentarii titulum indigetetur.

V. Ab *adjectitio externo honore* (\*) Missi in *primi & secundi* Ordinis Legatos hodiè distingvendi sunt, quam olim incognitam distinctionem à Romanâ aulâ, utpote communi cere-

B

monia-

$\nu$ . de Jure Supremat. ac Legat. Principum Germ. c. 6.

$\lambda$ . Schönborn. Polit. l. 3. c. 27.

$\mu$ . Kirchner. de Legat. lib. 1. c. 2. n. 32.

\* Specialioribus adhuc nominibus *Pontifices* Legatos suos & inter se, & ab aliorum Principum Ministris secernunt. Horum quippe alii dicuntur



moniarum Magistrâ, primùm inventam, ab aliis & inde com-  
 muni hodiè consuetudine comprobata, etiam Germanorum  
 Politici in vernaculâ lingvâ, Legatos & Ablegatos per *Gesand-*  
*ten & Abgesandten* (v) exprimentes, observare solent, cùm ve-  
 teri Recessum Imperii stilo, ubi easdem personas modò *Ge-*  
*sandten / modò Abgesandten* vocatas deprehendimus, eam  
 differentiam non semper attendi videmus. (ξ) De *primi gra-*  
*dis* Ministris seu *Legatis* strictè & *ναλ' ἐξοχῆν* ita dictis paulò in-  
 fra plenius agemus. Sub *secundi* autem Ordinis Ministris  
 seu *Legatis* minùs solennibus comprehenduntur *Ablegati*,  
 gallicè *Envoyés, Residentes, Agentes, Commissarii, Deputati*. U-  
 triusque generis Ministri vel *Ordinarii* sunt, vel *Extraordina-*  
*xii*. *Ordinarii*, quibus nullum certum negotium præfixum,  
 nec breve tempus concessum est: *Extraordinarii*, qui cum pe-

culia-  
 tur emanare ab ipso fonte, alii non emanare sed constitui, alii nec ema-  
 nare, nec constitui, sed officium habere dignitati connexum. *Primi*  
 specialiter dicuntur *Legati à latere*, quod sc. de latere Papæ, cui semper  
 assistunt, mittantur. Atque id nomen solis competit *Cardinalibus*, qui-  
 bus abiturientibus Papa cruce[m] tradit, quam redeuntes Ipsi reddunt;  
 hanc vigesimum ab urbe lapidem egressi liberè præ se ferunt, & tunc  
 ubivis locorum obviam illis prodire tenentur Clerici. Nemini, nec in-  
 ædibus suis, dextram concedant, nisi Regibus. Potestate quoque bene-  
 dictionem impertiendi, ac Doctores, Magistrosque creandi, fruuntur.  
*Secundi*, quia non sunt Cardinales, adeoque nec de latere Papæ, vocan-  
 tur *Nuncii Apostolici*, quorum tamen nonnullos mittere solet Pontifex,  
 adjectâ in eorum mandatis hæc clausulâ: *Cum potestate Legati à latere*;  
 quæ de Stilo curiæ Romanæ consuevit adjici mandatis Legatorum, qui  
 fimbriam vestimenti Papæ tetigerunt, seu qui ab eo mandatum vivæ vo-  
 cis Oraculo receperunt, uti loquitur *Speculat. tit. de Legat. §. sequitur,*  
*in pr.* *Tertii* dicuntur *Legati nati*, quod nimirum eo ipso, quo Ecclesiis  
 præficiuntur, & Præsules creantur, *Legati Apostolici* nomen & dignita-  
 tem assequantur. Talis in Germania olim fuit Magdeburgensis, nunc  
 Salisburgensis Archiepiscopus. Vid. de hac materia Dn. Strauch *Dis-*  
*sert. Exot. 7. §. 4.* Besold. *de Jure Legat. c. 2.* Ziegler. *diff. 9. de jurib.*  
*Majest. n. 27. it. Diff. 1. n. 68.* Marsel. *lib. 2. Diff. 1.*

v. Wilh. Becker. *Syn. Jur. Publ. c. 4. §. 15.*

ξ. Ita in R. U. zu Speyer 1570. §. und dieweil dann / §. swietwol nun §. und  
 wann auch. & §. und nach dem / Gesandte dicuntur, qui eodem Re-  
 cessu §. damit dann auch / §. wann auch / & §. nach dem wir / Abges-  
 sandte appellantur.



culiari mandato certæ rei occasionisq̃ue causa mittuntur, & brevi plerumq̃ue tempore negotia sua expediunt. Unde sæpe fit, ut Ordinario Legato Extraordinarius superveniat, & tunc quidem inter ejusdem Domini Ministros novissimè adveniens Extraordinarius Ordinariū præcedit, diversam tamen dignitatis speciem, (quod Ant. Perez. (o) opinatur,) non constituunt. Quando verò Legati & Ablegati in negotio quodam concurrunt & communi nomine appellandi sunt, *Delegatorum* vocabulo utriq̃ue comprehendi solent.

VI. *Ablegatus* seu *Envoyé* dicitur, qui vel à Minoris Conditionis Principe ad Majorem, vel à Principe quidem Majori ad sui similem, non tamen cum caractere repræsentationis missus est. Quales adhibere solent Principes, veriti forsitan, ne Legati sui cum aliis de Præcedentia aliisvè cæremoniarum solennibus, collidant; Si enim minori titulo Ministrum suum insigniunt, in Domini præjudicium haud putatur vergere, etiam si plenus illi honor non exhibeatur. Hinc aptiores nonnunquam certis negotiis expediendis existimantur Ablegati quàm Legati, quod hi, dum in omnibus actionibus circa merè ceremonialia sollicitè debent cavere, ne in Domini præjudicium quicquam admittant, rebus ipsis agendis tantoperè intenti esse nequeant: Ablegati contra, de cæremoniis minùs curiosi, sine imminutione splendoris Domini, quo, & quandocunq̃ue libuerit, ire, redire, aulæ etiam ad quam missi sunt Ministros visitare, cumq̃ue illis liberius versari, & unicè scopo suo obtinendo omnes cogitationes possint impendere. Sic ergò *Residens* nihil aliud esse videtur, quàm Ablegatus Ordinarius, *Envoyé Ordinaire*, ad perpetuam quasi & assiduam Legationem alicubi obeundam destinatus, & propterea immunitatibus quoq̃ue & privilegiis Legatorum gaudens. Quum enim omnes cæteri *Envoyés* vocentur Extraordinarii, sequitur etiam dari Ordinarios, quibus illi contradistingvantur, aliàs adjectio Extraordinarii supervacanea foret. Sub illis itaq̃ue Ordinariis non alii nisi Residentes intelligi possunt, quum iis cæteroquin omnes Ablegati notæ competant.





VII. At longè minoris potestatis sunt *Agentes*, quippe quibus nec literæ credentiales, sed ad summum commendati-  
 tiæ conceduntur; neque enim cum Principe ejusque Ministris  
 de Republ. tractant sed cum Judicibus, aliisque Magistratibus  
 aut etiam Privatis tantum agunt. Neque etiam à summæ saltim  
 potestatis compotibus, verum etiam à Civitatibus, imò & à  
 Privatorum sæpè collegiis alicubi aluntur. Ita Procuratores  
 Judicii Imperialis Aulici Statuum negotia ibidem Curantes,  
 vocantur *Agentes* ( $\pi$ ) Sic & Reginam quandam Hamburgi  
 Agentem sibi constituisse Judæum quendam ferunt. Civita-  
 tum quoque Deputati Ordinarii & perpetui *Agentes* vocari so-  
 lent, quemadmodum Principum Aulegati Ordinarii, Residen-  
 tes. Nec minus à Mercatorum Societatibus omni imperio  
 planè destitutis, *Agentes* mitti, exempla testantur. Nonnun-  
 quam etiam clam aulegari solent, quos vocant *les Agents Se-  
 crets*, ( $\rho$ ) ut occultè negotia quædam tractent, & nova expi-  
 scentur. Quale munus obeuntes cultu plerumque privato  
 calliditatem tegunt, quare etiam ad hoc aptissimi æstimari so-  
 lent Monachi & Mercatores, sive reverà tales, sive sub illorum  
 specie latitantes.

IIX. Falluntur autem, qui putant, quemadmodum Am-  
 basciator non nisi à potente Principe Majestatis Jurium parti-  
 cipe mittitur; Ita *Envoyés* & *Agentes* Semper à minoris saltim  
 conditionis Domino ad Majorem, cui hic fidelitatis juramento  
 adstrictus sit, aulegari: Quemadmodum enim Legato Ordina-  
 rio Extraordinarius sæpius supervenit, ita similiter etiam sæpius  
 videmus Dominum Legatum illustrem alicubi habentem in-  
 super Residentem vel Agentem ibidem alere, qui interea res  
 levioris momenti procuret, dum Legatus earum, licet vel ma-  
 ximè expetantur, quasi nescium incuriosumvè se simulat. At-  
 que hoc jam ab antiquo in more apud plerosque Principes  
 fuisse, post magnos Legatos ut mitterent minores, quibus non  
 idem cultus qui primis exhibeatur ex Menandro adducit Mar-  
 selaer

$\pi$ . N. Hoffmuths Ordn. tit. 3. in pr. it. tit. 7.

$\rho$ . De Agentibus Secretis Venetiis plerumque latitantibus vid. Hot-  
 tom. Franco-Gall, lib. 1. n. 5.



felaer (σ) Quandoque etiam Princeps plenum jus Legationis habens saltim inferioris ordinis Ministrum ablegat, vel ad evitandam sumtuum copiam, vel ex aliâ Status ratione, de qua materia præcedenti §. 6. actum.

IX. *Nunciorum* generali nomine etiam Legatos venire, supra quidem allatum est: In specie tamen ita dictis *Nunciis* quos *les Courriers* vocant, non nisi impropriissimè & in infimo significato Legati nomen, quatenus forsitan illud participialiter sumtum *missum* denotat, tribui potest. Hi siquidem sine omni pompa imò sine *Credentialibus* & *Commendatitiis* literis veniunt, & ferè nihil aliud sunt, quàm *Tabularii* vel *Nuncii* celeres, citissimè sibi commissa & plerumque quidem ablatis saltem sibi concreditis literis, nunciantes.

X. *Commissarii* vocantur, qui à Principe ad Provinciales & subditos, imò & seditiosos ac perduelles ( qui tamen in specie *Denunciatores* dici nonnullis solent, quod Imperium, usurpent ) mittuntur, vel etiam qui à Judicibus inferioribus ad privata tractanda vel transigenda negotia ablegantur. Sic Cæsaris Legati ad Status Imperii vel etiam ad Comitia missi sæpius *Commissarii* vocantur. (τ) Qui verò à Subditis ad Principem mittuntur, *Deputati*, vel *syndici*, vel *Selecti* vocantur. Similiter & missi ab illis qui conjunctim unum constituunt corpus, *Deputatorum* nomine indigitantur, quales e. g. sunt *Deputati* Statuum Imperii ad *Conventus Circulares*, *Deputati* singularum provinciarum uniti *Belgii*.

XI. Consideratis jam omnibus inferioribus Legatorum speciebus præcipuum & *primi Ordinis Legatum* quem *Ambasciatorem* vocare solent, spectabimus, quum ejus consideratio & primariò nostri sit instituti. *Ambasciatoris* autem vocem non Gallicæ, sed germanicæ esse Originis volunt. Ita enim Gallorum *Ambassadeur* derivant ab *Ambascia*, seu *Ambachtia*, *Ambacht* voce antiqua Germanica, & in li-

B 3

bris

σ. *Mars. de Legat. lib. 1. Diss. 2.*

τ. *De Commissariis Imperialibus* hoc ipso tempore accuratissimam edidit *Dissertationem* Senior *Facult. hujus Jurid. Dn. D. Lynker.*



bris ante trecentos plus minus annos conscriptis (Ϸ) non inusitata, *functionem* seu *munus* denotante. Hinc *Ambachten/ operari*, & *Ambactus ministerum* significat, Undè & rusticis quorundam locorum, Veterum vocum & pronunciationis retinentissimis in usu manet *Ambicht* & *Ambichtmann* pro *Ambt* & *Amtmann*. Apud Gallos quidem vox *Ambassadeur* æquè latè, ac apud Latinos *Legati* vocabulum extenditur, ut cōprehendat sub se omnes Principū Ministros ad peragenda vi creditivarum Domini negotia aliò missos: (Ϸ) in specie tamen, & *ναὶ ἐξοχῆν*, primi ordinis Legatum denotat, cuius definitio posset forsan talis constitui, quod sit *Minister, publico negotio consiciendo cum charactere representatio solenniter missus, ab eo, qui potestatem tali modo legandi habet, ad sui similem*. Communiter quidem, qui de Legatis scripsere, alii aliud constituerunt genus, quæ inter cōvenientissima quidem videtur eorum opinio, qui per *Mandatarium* exprimunt; (x) Placuit tamen adhibere *Ministri* vocabulum, quod hodiè omnibus tribui consuevit, qui præcipua negotia non saltim apud exteros, sed & in aula, & Domini sui territorio expediunt. Quemadmodum *Mazarinum* Cardinalem primum *Ministrissimi* nomine, primarium Status Ministrum denotante, se appellari amasse, ferunt. (↓) *Differentiam Specificam* duobus notavi membris; per verba enim: *publico negotio consiciendo missus*, Legatum à Privato mandatario; *Charactere* verò *representatio* ab illis, quos recensui secundi Ordinis Ministris distingvo. Per *Charactere* autem *representatio* intelligo illam ipsam à Domino Legato concessam dignitatem, quâ ipsius Domini personam repræsenterat, & consequenter iisdem, quibus ipse Dominus, honoribus afficiendus est, quo usque ratio & con-

v. Qvales recenset Dn. Stranch *Exod. 7. §. 4.*

Ϸ. *Memoire touchant les Ambassadeurs pag. 4.*

x. Uti fecit Kirchner. *de Legat. lib. 1. c. 1.* Quemadmodum enim Jus alterum privatum, alterum publicum; ita Mandatarium alium in specie ita dictum Privati, alium publici Jutis, Legatum nempe, esse dicit, propterea quod à Mandato vim omnem habeat Legatus.

↓. Vid. Wilh. Schröters *Dissert. de Ministrissimo* item Thomas. *de Ministrissimo §. 6.*



svetudo patitur. (ω) Ita quando ad certas quasdam cere-  
moniarum solennitates, quales sunt, nuptiales, funebres, Co-  
ronationis, &c. Magni invitantur Principes, id solum à pe-  
tente intenditur, ut invitatus illustri sua presentia splendi-  
diorem illum reddat actum; Is itaque si gratificaturus alteri,  
non quidem ipse, sed per Legatum, qui sua vice fungatur &  
solennia illa magnificentiora reddat, compareat, utique hic Do-  
mini sui presentabit personam, (unde & magna cum pom-  
pa, magnoque apparatu mitti solet) adeoque Domini locum ob-  
tinebit, & iisdem, quibus Dominus ipse, si presentis esset, ho-  
noribus afficietur, quousque tamen usus & ratio permittit.  
Ita enim consuetudo fert, ut in conventu Principum quoad  
Legationis Jura æqualium, Principi presentis absentis Legatus  
cedat, licet huic absentis Dominus si presentis ipse esset, præ-  
ferendus forte foret, imò ut Legatus etiam Principi ad quem  
missus est, in ipsa ejus aula postponatur, quum Principes om-  
nes quasi fratres censeantur, & Ministrum Domini sui fratrem  
præcedere velle, inconveniens videatur. Quoad Legatorum  
verò personas nihil interest, an sublimioris, an mediocris  
sint status, quum non habeatur ratio missi, sed mittentis;  
Quod tamen ita intelligendum, ut Legationis honor addat  
quidem, non tamen adimat dignitatem: Ita enim si e. g.  
mittatur Legatus ortu Princeps titulus illum Celsitudinis ma-  
net. Denique *Ambassiadorem mitti ab eo, dictum est, qui le-  
gandi habet potestatem ad sui similem.* adeoque non nisi pari-  
bus Legationes intercedere. Qualibet autem Respublica,  
vel Princeps, in hoc par habetur alteri, si suo jure regatur,  
nec alterius imperio ita subfit, ut leges ab eo accipiat. Non  
enim refert alium Principem ab alio ditionum amplitudine  
aut virium potentia superari, nec etiam fœderis inæqualitas,  
aut nexus feudalis paritatem hanc tollit, quum summa nihi-  
lo minus salva manere possit potestas, uti celeberrimus Gro-  
tius in *de J. B. & P. l. 1. c. 3.* prolixè & accuratè satis de-  
monstrat.

ω. Furstner. *de supermasu* c. 7. & 8.

CAP.



CAPUT II.  
QUINAM MITTANT  
LEGATOS.

SUMMARI A.

1. An inter Deum & homines propriè intercedant Legati?
2. Legationum Jus fundatur in Jure gentium.
3. Refertur à Politicis ad Jura Majestatica majora.
4. Superioritas territorialis quid, quomodo differat à Jurisdictione.
5. La Souveraineté & Suprematum quid vocent novi Scriptores.
6. Quis tandem Legatum cum caractere possit mittere.
7. Legationis honor aequalium alteri concessus, alteri sine injuria denegari nequit.
8. Ad honorem multum facit potentia.
9. Qui cum potentia, & Jus habent belli & fœderum, his quoque sublime Legationum Jus liberum erit.

I.

IN antiquissimi Legationum usus originem inquirentes plerique ad ipsum DEUM hanc referre solent, quod divina Majestas sub ipsum statim nascentis Orbis primordium, per coelestem suum Federalem, Cherubinum illum lapsis Protoplastis bellum & exitium indixerit, ex Paradyso illis proscriptis, tum sequentibus inde temporibus alias quoque Angelis sæpè commiserit Legationes, (undè etiam Josephus (a) non ob aliam, quam ad Legationes obeundas, causam, Angelos creatos esse opinatur) donec ab infinita benignissimi Patris misericordia, unigenitus Mediator Legatus Filius Jehennales nostros subjugaret hostes, pacemque nobis reduceret æternam. Prophetas quoque & Apostolos, aliosque verbi Divini Ministros Ambassiatores vocandos esse, sequi videtur ex illo D. Pauli dicto (b) ὑπερχεις ἔν ᾧ προσεύομεν, quod à Luthero versum: So sind wir nun

a. cap. 8. lib. 15. Histor.    b. 2. ad Corinth. 5. v. 20.



nun Bothschafter an Christus statt / Gallicus textus exprimit: *Nous sommes donc Ambassadeurs pour Christ.* Quemadmodum & de Primario illo Germanorum Apostolo S. Bonifacio Adamus Bremensis (γ) *Ipse, inquit, Apostolica sedis auctoritate fultus LEGATIONEM ad Gentes suscepit, Teutonumq; apud populos Ecclesias doctrinam virtutibusq; illustravit.* Huc ergo respicere videtur Ictus Octav. Magius, (δ) *dum vetus, ait, consuetudo est optimumq; institutum decernenda Legationis quod divinitus nobis traditum, ad omnes deinceps gentes & nationes translatum fuit, sic ut nullum fuerit ex omni memoria in Persarum, Assyriorum, aut Romanorum imperio tempus, quo non sint decreta Legationes.* An verò Angeli & homines Θεώπνευστοι rectè & in proprio significato divini dicendi sint Legati, patebit statim perpendentibus, Legationem non nisi inter similes intercedere; inter infinitam verò summi universi hujus Monarchæ potentiam, & miseros terrigenas nullam planè esse comparisonem. Nuncii itaq; interpretes Dei & Commissarii sunt à potentissimo ad infimos missi, & mortalibus voluntatem & mandata divina nullo modo defugienda denunciantes; Legati non sunt. Horum enim non est mandare, compellere, jubere; sed rogare, suadere.

II. Hoc tamen constat, Legatorum usum antiquissimum esse, & statim distinctis populis & stabilitis imperiis, ab ipsa necessitate introductum. Quum enim sæpius inter diversas Respubl. quædam expedienda contigerint negotia, nec consultum semper fuerit ipsos convenisse Proceres, (ε) necessariò Legatis hæc ipsa committenda fuere. Præclara hac de re verba sunt Paschalii (ζ) *Legationem nulla curiositas, nulla voluptas invenit sed sola necessitas, imbecillitate sc. & sorte humana Regnantes eo mittunt Legatos, quò se ipsi capeßere nequeunt. Horum diligentia in rem præsentem quamlibet longinquam perdu-*

γ. lib. 1. Histor. Eccles. & ex hoc Albert. Stadenſis in A. 755.

δ. de Legat. lib. 1. c. 1.

ε. egregiè hanc in ſententiam differit Comin. de rebus geſtis Ludov. XI. & Caroli IIX. lib. 3. memorabile quoq; adducit exemplum

Fr. de Marſelaër. lib. 1. Diſſert. 4.

ζ. cap. 6. de Legatis.



*cuntur, alieno ore cogitatè loquuntur & commodè.* Rectè ergò summus Vir H. Grotius (n) ad obligationes quas ipsum per se *Jus gentium*, quod dicitur *voluntarium*, induxit, tanquam præcipuum ejus caput refert Jus Legationis, quod violare non injustum saltem, sed & impium semper habitum sit. *Voluntarium* enim Jus gentium laudatus scriptor (s) vocat, quod gentium omnium aut morationum voluntate vim obligandi accipit. Jam verò Legatos summi Imperii compotes inter se mittunt, qui in hoc utiq; civilibus legibus non adstricti, Jura tamen agnoscunt naturæ & gentium. Undè huc non pertinent Provinciales, municipales aliq; ab inferioribus missi Ablegati, qui non gentium, sed civili reguntur Jure.

III. Potestas autem mittendi Legatos communiter à Politicis inter Jura Majestatis, quæ vocant *Majora*, refertur. Dispersentes enim Majestatica jura in *Majora* & *Minora*, hæc quidem dicunt, quæ commoda & emolumenta fisci, *illa* verò, quæ gubernationem & statum ipsum Reipublicæ Imperantisque personam concernunt; ut adeò in majoribus primariò suprema consistat potestas. Alii Regalia in *æquiparantia* seu *ad extra*, & *disæquiparantia* sive *ad intra* dividentes, Legationum jus meritò ad æquiparantia referunt. Ad modernum verò statum hanc doctrinam applicantes, quum jura Majestatica majora & minora, ex omnium concessione, sint etiam penes *Principes Germaniæ*; hinc in diversas abeunt Politici sententias, aliis plenam & propriè dictam, aliis verò analogicam, & ab Imperio dependentem Majestatem illis adferentibus; aliis item, quod Imperatori & Imperio ad fidelitatem & obedientiam Vasallagio se adstringant, Majestatem iis planè negantibus, nec quicquam præter territorialem Jurisdictionem illis concedentibus.

IV. Quemadmodum autem *Majestatem* Bodinus definiit (1) summam ac legibus solutam potestatem in cives ac sub-

n. d. jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 18. n. 1.

s. lib. 1. cap. 1. n. 14.

1. lib. 1. de republ. c. 8. pr. quam tamen definitionem ex genere eorum esse, de quibus l. 202. ff. de R. J. dicitur: *Omnis definitio periculosa est*, tot circa illam Dd. & Politicorum altercationes commonstrant.



subditos; Ita Superioritatem territorialem, die Lands Fürstliche  
oder Landes hohe Obrigkeit describere solent: Jus & exerciti-  
um summi post Imperatorem Imperii, eiqve annexorum Rega-  
lium, quod in omnes territorii istius septis inclusos homines  
tanquam subditos regulari Juris præsumptione competit, donec  
probetur exemptio. (u) Et omnium maximè quidem Superiori-  
tate territoriali competentia regalia in *Jure proprii Praesidii*  
seu defensionis territorialis videntur elucescere, quum illâ gau-  
dens territorium suum ipse militari manu ab hostili non sal-  
tim insultu defendere, sed subditos quoque in officio contine-  
re possit, ex quo Domini territorii, præ Domino Jurisdictionis,  
illius subdito, sublimitas præcipuè dignoscitur. Etsi enim  
Dominus Jurisdictionis delinquentes Privatos per Judicii mi-  
nistros vel etiam vocatis quandoque in subsidium Civibus  
potest coërcere; attamen militum manum, quâ totum seditio-  
sum forsan territorium ad officium possit reduci, conscribendi  
potestas (sufficit enim jus colligendi militis habere, licet non  
semper actu alantur) penes solum est superioritatis Dominum,  
cujus opem, nudam jurisdictionem habens, si fortè tota quæ-  
dam refractetur communitas, implorare tenetur. Potest itaque  
aliquis merum & mixtum imperium, & simplicem quoque Ju-  
risdictionem, seu potestatem jus dicendi, & coërcendi refrac-  
tarios & delinquentes habere, ut tamen sublimi territorii jure  
careat, si videlicet alium quam Imperatorem agnoscat supe-  
riorem, nec jure manus militaris aliisque regalibus fruatur.  
Contra potest etiam aliquis superioritatem territorialem habe-  
re, ut tamen non omnia habeat Jura majestatica, imò ut etiam  
jure altæ jurisdictionis destituatur. Licet autem vulgata sit  
sententia, Superioritatem de Principis esse essentia eiqve medul-  
litus adhærere: (λ) Attamen etiam *Comites*, imò liberae quoque  
*Imperii Civitates* hoc jure fruuntur. Quamvis enim sublimi  
territorii Jus Civitatibus in dubium vocare conetur. Andr.  
Knich.

x Vid. Reinking *de Reg. Sec. & Eccl. lib. 1. Cl. 5. c. 3. n. 3.*

λ. confer. alleg. ap. Reink. *de R. S. & E. lib. 1. Cl. 5. c. 2. n. 13.*



Knich. (μ) quia tamen habent proprium territorium, inque eo jus alendi militem, aliaque regalia, & secundum vetus brocardicum : Territorialis superioritas territorio adhæret tanquam nebula super paludem, (ν) ideo denegari illis non poterit. Controversiam hanc Auctor tractus de Suprematu, (quo de paulo post videbimus) ita optimè componi posse putat, ut Civitatibus superioritas territorialis quidem concedatur, non verò suprematus, quem nec ipsæ sibi postulent. Quod igitur in Principibus dicitur germanicè Landes Fürstl. hohe Obrigkeit / in aliis vocatur Landeshohe Obrigkeit / Landes Herrliche Bothmäßigkeit / quandoque etiam Oberherrlichkeit und Gebieth / vel in specie in Comite Gräflich / in Civitate Städtlich / & sic deinceps. (ξ)

V. Ratione superioritatis ergò territorialis omnes Imperii Status forent æquales : Quum tamen magnum adhuc discrimen inter potentissimos Principes aliosque minores Dynastas & Status compareat ; Imò etiam in Comitibus hodiè distinctio inter *Superiores* (Electores ac Principes,) ac *Inferiores* Status Imperii recepta sit (\*) Hinc nonnulli exterorum præcipuè nostri temporis Politicorum inter Cæsaream Majestatem & territorialem superioritatem medio quasi loco constituunt *la Souveraineté*, non in laxiori significato, quatenus & ipsi Galli nunquam exiguas quoque ditiones hoc titulo indigitant, sed strictius sumto vocabulo, quomodo *Souverains* vocant illos, quos alias *Potentats* appellant. Hanc sententiam secutus supra laudatus Furstinerius, *la Souveraineté* latinè per *Suprematum*

in velit. Apologet. n. 15. 120. 130. & seqq. & in tract. de Jure territor. cap. 1. n. 116.

ν. Bart. ad L. fin. Cod. ubi & apud quor.

ξ. Reink. lib. 1. Cl. s. c. s. n. 25. & seq.

(\*) Hanc distinctionem ipsos hodiè facillè admittere inferiores Status, inde satis constat, quod non saltim Civitatum Collegium in actis publicis Electores & Principes vocet die höhern Stände / uti exempla habentur in der Grundf. des R. R. p. 2. c. 6. & 7. sed & Comites non repugnent *vid. Monita der OberReinischen Grafen und Städte in puncto presentationis apud Londorp. Cont. p. VII. l. 6. c. 469. & Comitum Wetterav. Abligati memoriale apud eundem d. p. VII. l. 7. c. 80.*



*rum* (o) exprimit. Ex hujus itaq; mente, ut quis suprematum habeat, requiritur, ut non tantum sublimi territoriali gaudeat jure, sed ut territorium quoque majus habeat, & exercitum, etiam extra fines educere, bellum inferre & sustinere, propria quodammodo vi stare, fœdera pangere, cæterisque gentium, juris functionibus cum auctoritate intervenire possit. Huc ergo illius tendit sententia: Quoscunque Deus in tam sublimi collocaverit Statu, ut præfatis firmissimis potentia nitantur, fulcris, nec aliter quam bello illato cogi possint, hos à cæteris summis potestatibus terrarumque & gentium Dominis, quodammodo ut fratres, & conditione æquales (licet viribus & potentia sint impares) honorari, & ab illis gradu tantum non specie dignitatis differre, & sic verum & realem habere suprematum; Qui verò ex ejusmodi potente ortum trahat familia, licet caput Domus, seu regnans non sit, sed forsan Apanagaticus, & solam successionis spem habeat, eo ipso tamen quod sit *Prince d'une maison Souveraine*, cæterorum hominum, quibus ad illud culmen adspirare non datur, sortem quodammodo supergressum esse, & hinc personæ quoque ratione inviolabilem censerit, ac sic, ut ita loquar, Personalem habere suprematum. Porro nec plurium territoriorum in unum corpus unionem, nec fœdera etiam inæqualia singulorum Suprematui obesse, sed nihilò minus jus suum cuique manere salvum. Unde tandem concludit: *Legatos cum caractere mittere posse, qui suprematu hoc potiantur.* Verum enim verò cum nova hæc sit opinio, & in potentia magis quam Jure suum ponere fundamentum nonnullis æstimetur (quamvis, dum Auctor requirit, debere quem, ut Suprematu gaudeat & *persona Jure inviolabilem* censerit, *ditionum* autem respectu *armorum potestatem* habere, realem & personalem Suprematum & (π) sic jus & potentiam conjungere videatur) nolo istam quidem de Suprematu controversiam meam facere.

C 3

VI. Ut

- (o) prolixius vid. hæc de materia dictum Auctorem de Jure Suprematus ac Legat. Princ. cap. 9. 10. 11. 12.
- (π) quemadmodum & in præfatione, *si Jure*, inquit, *tantum spectamus, eoque maximum Principem & abjectissimum quemque de plebe obligatum esse constat, ad actiones ex Justitia præscriptas*



VI. Ut tamen penitius inquiramus, *quid requiratur, ne quis Legatum cum charactero mittere possit?* ordinis ratio flagitat. Ac in genere quidem cum vulgo Politicorum facile est asserere, illis, qui jura habent Majestatica, Legationum quoque Jus competere; quum verò illa ipsa Legationum discrimina noviter pleraque sint inventa & merè ceremonialia, quæ ex sola primùm Magnatum voluntate & impositione valorem obtinuerint, procedente verò tempore magis magisque religiosius observari cœperint, ita ut abierint tandem verè in reale quippiam, hinc difficillimum sanè, nec in Privati arbitrio situm est, Principibus hinc præscribere Regulam.

VII. Interim tamen, si ex naturali æquitate judicare velimus, hoc omninò adfirmandum erit, quemadmodum unicuique illarum circa Legationes solennitatum finis & scopus est conservatio honoris & dignitatis mittentis; Ita etiam si horum, qui æqualis sunt Status & conditionis, alteri sublimius hoc Legationum jus non controvertatur, alteri sanè idem finè injuria denegari minimè posse. Quamvis verò honorem non esse honorati sed honorantis, illumque in hujus non illius potestate situm esse, communiter Ethici tradant; hæc tamen regula de falso, nec de jure ita debito honore intelligenda est. (e) Cui enim de jure aliquid debetur, debitum utique potest exigere, nec in potestate est debitoris an velit reddere nec ne. At verò etiam Apostolus, (f) *Reddite, inquit, omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

IX. Quemadmodum autem Jus naturæ nobis dicitur, esse DEUM, eundemque propter tria præcipuè primaria ejus attributa *Benignitatem* nempe, *Sapientiam*, *Potentiam*, maximè honorandum: ita ex eodem cognoscimus, quibuscumque inter mortales quendam horum attributorum characterem divina concessit Clementia, iis quoque præ cæteris deberi honorem, quum

*moderandas; si verò potentia tantum, quæ ipso facto competit, rationem habemus, Tyrannus aut Dux Latronum non minus ac Rex summa potestate præditus videbitur.*

(e) Joh. Freinshem. de Elector. & Cardinal. præced. Diatr. 2.

(f) ad Rom. 13, v. 7.



1  
quum hi & propius quodammodo ad Deum accedant, & aliis  
ad obtinendum à rectâ ratione intentum finem, benè scilicet  
& commodè vivere, multùm possint conferre. (τ) Magis au-  
tem Potentes, quàm sapientes tantùm, vel etiam benigni tan-  
tùm prodesse queunt: hinc benignitas sola, conatum potius  
quàm facultatem habens, amatur quidem, Sapientiam autem,  
nisi & hæc commoditates afferat, alii mirantur, spernunt alii:  
At potentiæ in tribuendo honore potissima præprimis semper  
habetur ratio, (υ) honoranturque Potentes, vel ut nobis succur-  
rant & benefaciant, vel certè ( sicuti Calecutienses coluerunt  
Diabolum ) ne noceant. Si verò cum potentia & benignitas  
& sapientia conjuncta, nihil sanè amplius ad eximios honores  
desiderabitur. Sic quum penes Patrem sit vel certè esse de-  
beat maxima in suâ familiâ potentia, sapientia & benignitas,  
hinc naturæ jus liberis dicitur, parentes summè esse honoran-  
dos. Hoc naturæ dictamen imitantia gentium Jura & con-  
suetudines communiter potentioribus majores decernunt ho-  
nores, ut ita quavis potentia non semper Jus faciat, ad obser-  
vandos tamen honoris exhibendi gradus eximium quid con-  
ferat. Undè Kirchnerus, *veteri etiam gentium more constitu-  
tum esse, dicit, ut secundum naturæ ordinem, teste Aristotele, qui  
potentia & auctoritate digniores essent, priore quoque loco in Le-  
gationibus haberentur & audirentur.* (φ) Hinc Amurathes  
Turcarum Imperator circumcissionem primogeniti sui solenni-  
ter celebraturus Legatum quidem Persiæ, intuitu persicæ po-  
tentia ob vicinitatem magis formidandæ, ad primum pulvi-  
nar; Hispaniæ verò, quod ejus Regem potentia cæteros supe-  
rare æstimaret, ad proximum invitari jussit, & tum deinceps  
cæteros, quia de causa Galliæ Legatus comparere volebat.  
(χ) Et sanè Exempla tantum non infinita nos docent, quando-  
cunqve inter Magnatum ministros de Præcedentia lites ortæ,  
ad

(τ) Vid. Freinsh. d. Diatr. 2. n. 10.

(υ) Conf. Heft. Joh. Mithobius *Diss. de Controversiis Sæco-Polon.* c. 4.  
Jac. Andr. Crus. *de Præ eminentia* lib. 1. c. 6. n. 47.

(φ) Kirchner, *de Legat.* lib. 2. c. 5. n. 91.

(χ) Marsel, *de Legat.* lib. 2, D. 32.



ad obtinenda Dominorum jura præ aliis rationibus potentiam, imprimis allegari, quemadmodum, quum Romæ 1564. inter Hispaniæ Galliaeq; Legatum de præcedentia altercassetur, uterq; coram Pontifice Regis sui potentiam, titulos & auctoritatem magnificè extollebat. (ψ) Ob eandem quoq; causam, solam nempe Potentiam, Burgundiæ olim Ducem præcedentiam præ Electoribus sibi deberi contendisse, & acriter affectasse, quoniam nempe sexies Dux, quindecies Comes esset, ferunt. (ω)

IX. Non tamen ad dignitatem Domini æstimandam, sufficere arbitror solam Domini potentiam, aliàs enim & latronum Dux summam potestatem habere videretur; sed potentiam cum Jure conjunctam. Certum enim est præcipuam, maximeq; communi Reipubl. salutem necessariam Legationum speciem illam esse, quæ fœderum pangendorum, vel belli pacisque negotiorum gratia instituitur. Ergò ita tandem concludo: *Quicumq; Regalibus pollent, & non potentiam saltem, sed & Jus habent, cum aliis summis potestatibus de bello, pace, fœderibus transigendi, ita ut quandocunq; de communi Europæ tranquillitate agitur, & horum auctoritas atq; potentia merito consideranda veniat, his liberum esse cujuscunq; generis Legatos pro lubitu mittere.*

(ψ) Marsel. lib. 2. Diss. 32. (ω) Freherus fol. 150.

### CAPUT III.

## QVO JURE PRINCIPES GERMANIÆ MITTANT LEGATOS.

#### SUMMARI A.

1. Politici communiter Principibus Germ. tribuunt Jus Legationis.
2. Et rectè: quia illis competunt Regalia omnia, quæ inter eminent Jus Belli, Pacis, Fœderum.
3. Neq; hæc saltim de facto, sed & de Jure tenent.

4. Ergo



4. Ergo & Jus Legationes cujuscunque generis mittendi.
5. Error quibusdam inde natus, quod in Comitibus Imp. distinctio inter primi & secundi ordinis Legatos adhuc inusitata.
6. Legationum Jus solus Rex Gallia Principibus German. negavit: Caesar iisdem asseruit. 7. Quousque procedat assertio: In actis ceremonialibus nudam possessionem spectari.
8. Aequalibus aequales debentur honores.
9. Quosdam Principes exercuisse Jus Legationum probatur primo exemplo Italorum. 10. Imperii Rom. Germanici ab Origine sua ad haec usque tempora in Italiam Jura.
11. Singuli Itali Principes Imperio nostro subsunt.
12. Nec sublimiores sunt Germanis.
13. Licet Italorum aliqui in quibusdam ditioribus superiores non recognoscant, hoc tamen non addit illis praeminentiam. 14. Neq; etiam Obligatio erga Imperium officii splendori Principum. 15. Quod Germanici Princ. Status sunt Imperii, in eo multum praecellunt Italos.
16. Electores habent Legationum jus licet recognoscant Caesarem.
17. Ubi in legibus Imperii Electoribus expresse non concessa sunt praeter reliquis Principibus privilegia, in his utriusque eadem jura obtinent. 18. Ergo & quoad Legationes.
19. Nec desunt exempla Principum Germaniae, qui primi ordinis Legatos miserint.

I.

Quicumque haec de Legatis scripsere Politici & Publicistae ad unum ferè omnes in hoc conveniunt, quod Legationum Jus Principibus quoque Germaniae omnino tribuant. Quamvis verò non aequè omnes varias Legatorum differentias & gradus distinguant, si tamen penitus plerorumque penitemus sententias, sanè illustrem illam & primariam Legatorum characterem representatio vestitorum speciem illos non excludere, deprehendimus.

II. Et quis hoc denegaret tantis Dominis? Sanè Germaniae Principum splendorem universus suspicit & miratur terrarum Orbis. Amplissima enim illi, majestaticisque Regalibus incluta hereditario jure possident territoria, & si fortè non

D

fin-



singuli Principes, plurimi tamen, aut certè singulæ Principales in Germania Domus conjunctim tantæ sunt potentia, ut non saltim proprias ditiones facillè defendere, sed etiam cum Exteris validè fœdera icere, iisdem succurrere, & extra territorii quoq; fines ducto exercitu bella gerere valeant, ita ut totius Europæ tranquillitatis fortuna tantorum simul Principum committatur arbitrio. Cujus rei exempla adducere supervacaneum foret, quum & præ nobis Historicorum id monumenta loquantur, & nostro etiam ævo contigerint plurima. Quemadmodum enim ore omnium circumfertur Regula: *tantum posse Principem in suo territorio, quantum possit Imperator in Imperio*, ita & ipsa justitia & fundamentales Imperii nostri Leges ejusdem veritatem defendunt; nisi ideò cum quibusdam falsitatis eandem velis arguere, quod Principi non modò tantundem, sed certis casibus plus sit potestatis in suo territorio, quàm Cæsari quâ tali, in Imperio, quin etiam quàm exterorum Regum nonnullis v. e. Regi Poloniae in Regno suo. (a) Omnia enim Jura Majestatica exercendi plenam habent facultatem, inter quæ ceu Luna stellas inter minores emicat *Jus belli, Pacis & Fœderum*, quod hi etiam cum Exteris liberè exercent cum Imperatori, quâ tali, nec fœdera ita pangere, nec, quemadmodum Principi rebelles suos subditos, ita refractarios forsitan Imperii Status, inconsultis cæteris, coërcere liceat.

III. Neque tamen summa hæc Principum potestas in nudâ eorundem fundatur potentiâ, verum jure etiam ab illis exercetur optimo. Quòd quidem Jus in nuperrima quoq; gloriosissimi Imperatoris LEOPOLDI Capitulatione iis reservatum, non verò tum demum illis primò acquisitum est, cum jam diu antè obtinuerint. Prisca enim exempla docent, quæ fœdera pepigerint, quàm cruenta bella non saltim cum exteris gentibus, sed etiam inter se Germaniæ gesserint Principes, quomodo ortæ quandoque leves initio inter Status dissensiones, dein in crudelissimas & penè inextingvibiles bellorum intestinorum erupuerint flammæ. Quos inde Magnatum mores

etiam

(a) Knich. cap. 1. de Sublimi territ. Jure n. 362. Schradex. de feud. lib. 1.

c. 19. num. 13.



etiam Privati imitari non intermittebant, ita ut à multis retrò seculis assuetas diffidationes, & *χρισποδίνων*, modum illum, ferro litigia dirimendi, quem vernacula *das Faustrecht* vocabant, tandem Seculo XIV. & XV. interregnorum tempore, aut Cæsarium etiam in Germaniâ auctoritate admodum vacillante, palam impunè & liberè exercerent, quum pigrum multis & iners videretur tædiosis supplicationibus, & in seculum sapè duraturis Processibus quærerere, quod sanguine parare & vel uno congressu expedire possent. (β) Undè illuc tandem res devenerat, ut omnis Nobilium quorundam fortitudo & virtus in latrociniiis & deprædationibus peregrinantium nonnunquam, etiam vicorum urbiumque non satis munitarum, consisteret & ferè nec hospes ab hospite amplius tutus esset. (γ) Cui malo quamvis sapius mederi Imperatores tentaverint, parùm tamen profecerunt, nec tam profundè semel radicatum pravam consuetudinem penitus extirpare & tollere potuerunt, donec tandem Maximilianus I. severissimâ lege Ao. 1495. d. 7. Aug. Wormatiæ conditâ ac post in declaratione des Landfriedens Ao. 1500. Augustæ Vindelicorum promulgatâ, penetraret, quam postea Carolus V. Ao. 1521. Wormatiæ, 1522. Norimbergæ & 1548. Augustæ posteaque ejus Successores sapius repetierunt ac renovarunt, & sic tandem Pacem publicam, (den Landfrieden) corroborarunt, stabilito Camerae Spirensis Judicio, quo postea omnes lites sopiri & controversiæ diju-

D 2

dica-

(β) quemadmodum in simili ferè de antiquis Teutonum gentibus *Tac. de Mor. Germ. c. 14.* testatur, qui tamen, ut Ethnici Hobbesiana Principia, Jus sc. competere omnibus in omnia, facto ipso quidem comprobabant ( utpote apud quos *Cæsare teste lib. 6. de B. Gall. latrocinia*, quæ extra fines territorii fiebant, nullam habebant infamiam, cum illa Juventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicarent ) religiosiores tamen erant multis dicto tempore Christianum nomen profitentibus, & nihilominus nec indigenis nec peregrinis parentibus.

(γ) *Alciat. lib. 2. cap. ult. & Consil. 132. volum. 5.* Item *Casp. à Verch in discurs. de Ordine Equestri German. in 2. fundamento. n. 94. f. 141. K.* *Lehman Speyersche Chron. lib. 7. cap. 69. & 89.* Formulam diffidandi ac bellum denunciandi inter Privatos usitatam affert *Speidel. Not. Jur. Hist. Pol. verbo Fehd.*



dicari possent, everfisq̄ve à Statibus nonnullis confœderatis Publicæ pacis fractorum & prædonum istorum receptaculis. Quæ omnia tandem pragmaticâ Instrumenti Pacis sanctione confirmata sunt. Ex deductâ itaq̄ve privatorum & subditorum mediatorum tum temporis libertate, quæ Celsissimorum Principum fuerit auctoritas & potestas facile est colligere, totq̄ve ab Historicis recensita bella commonstrant. Quamvis verò per pacem publicam aliasq̄ve constitutiones intestinis in Imperio motibus Statuumq̄ve inter se tranquillitati provisum sit, non tamen propterea illis jus belli fœderumq̄ve cum exteris sublatum est, modò non sint contra Imperatorem & Imperium. Ita enim in Instrum. pacis Cæsareo-Svecicæ (d) expressè hæc habentur verba: *Cum primis verò jus faciendû inter se & CUM EXTERIS fœdera pro sua cuiusq̄, conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuò liberum esto, ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium, pacemq̄, ejus publicam vel hanc in primis transactionem; fiantq̄, salvo per omnia juramento, quo quisq̄, Imperatori & Imperio obstrictus est.* Sic etiam in tabulis pacis Germano Gallicæ, §. 3. inter universum quidem Imperium & Galliæ Reges de mutuis hostibus non juvandis pactum est initum, sed Statibus tamen sua libertas expressis verbis reservatur, ibi: *Singulis tamen Statibus liberum sit, huic illive Regno, extra Imperii limites suppetias ferre, non tamen aliter, quàm secundum Imperii constitutiones.* Si itaq̄ve Principibus inter se & cum exteris quoq̄ve fœdera inire, si huic illive Regno pro lubitu suppetias ferre illis liberum est, quis de jure belli iisdem competente dubitabit? quò enim tendunt fœdera, nisi ut fœderati sibi invicem assistant? quomodo autem sibi invicem suppetias ferre possunt, ut tamen pars altera alterius bellis non implicetur? Hæc ergò sublimia Serf. morum Principum Jura in novissima quoq̄ve Capitulatione invictissimus noster Leopoldus iisdem confirmavit, ubi non saltem Statibus singulis omnia sua privilegia & Dignitates reservantur, (e) & in specie quoq̄ve *Daß sie sich bey ihrem hergebrachtten und haben*

(d) Art. 8. §. gaudent. 2. qui §. totidem verbis repetitur in Instrum. Cæsareo-Gall. §. gaudeant. 63. (e) Capitulat. Leopold. art. 3. & 4.



habenden Fürstl. Juribus selbstem und mit assistentz der bes  
nachbarten Stände wider ihre Unterthanen manuteniren und  
sie zu Gehorsam bringen mögen (?) item propria vindicta, Re-  
pressalia, & similia remedia (n) ut & facultas exteris militandi  
(d) illis permittuntur, sed clarè etiam allegatus instrumenti pa-  
cis textus in illoqve contenta Statuum Jura corroborantur &  
renovantur, (i) quum contra Imperator iniqua Mediatorum  
& Civitatum etiam Hanseaticarum pacta prorsus abominetur,  
& inhibeat, de se ipso verò quod sine Statuum cognitione, nec  
bellum suscepturus, nec cum Exteris fœdera initurus sit, sanctè  
polliceatur & promittat.

IV. Quum itaqve Principibus nostris Regalia, Legatio-  
nis Jure longè majora competere probaverim, vel ex vulgato  
axiomate (n) *cui competit majus eidem & minus*, palam esse pu-  
to, illis nec Legatos cujuscunqve Ordinis mittendi potestatem  
in dubium vocari posse. Magnum enim fanè momentum  
in belli pacisqve negotiis situm est, utpote ex quibus univer-  
sarum sæpè gentium salus dependet: Legationum verò diffe-  
rentiæ in meris potius ceremonialibus consistunt, quàm ut rea-  
le quippiam ponant, nedum ut Principi alterius Legato debi-  
tum honorem exhibenti, ullum inde nascatur damnum. Imò  
quem fugit ab ipsis etiam Regibus bello implicitis toties Ger-  
maniæ Mediatore expetitos esse Principes! At verò in com-  
muni Europæ Magnatum confessu Arbitrorum munus susti-  
nentes, æqvè ac fœdera pacturi Principes ipsi rarò conveniunt,  
per Legatos talia expedire consveti. Quum ergò in tam ar-  
duis negotiis Principum sæpè societas à Regibus quaratur, &  
illi susceptis de communi Christiani orbis salute delibera-  
tionibus de jure se immisceant, æqvum fanè est ut & Legatis  
illorum debitus exhibeatur honor.

V. Ast, si quorundam quoad Civilis aliàs Juris scien-  
tiam satis celebrium virorum ( quorum idcirco nominibus  
parco ) opinio veritati esset consentanea, planè desperata foret  
tam Electorum, quàm cæterorum Principum sublimius illud

D 3

Legati-

(?) art. 7. (n) art. 21. 22. (d) art. 16. (i) art. 9.  
(n) l. 21. ff. de R. J. cap. 33. de R. J. in 610.



Legationum jus sibi vendicantium causa. Illi enim Principibus omnibusque Imperii statibus competere quidem adstruunt legandi facultatem, sed ex falso & turbido admodum hæc derivant fonte. Eodem nempe modo quo Provinciarum Præfecti & Magistratus (quam in sententiam multas *leges ff. & C. de Legat. allegant*) etiam Imperii Status mittere scribunt Legatos. Sed refutari non merentur istæ se ipsas statim destruentes nugæ. Principes enim nostros *non alieno sed proprio nomine & jure, nec* ut Provinciarum Administratores & Magistratus, sed ut *Dominos* Legationum exercere jura, clarius est, quam ut multis probari necessum habeat. Condonandum, interim est inconsiderato hominum errori, qui plus circa spinosas Legum conciliationes, quam illustria Legationum solennia solliciti, hæc talia forsan non malâ mente, nec in Principum contumeliam vergere reputantes, sparserunt. Ansam verò errori quorundam dedisse videtur, quod Germani, omnium semper populorum constantissimi habitus, ne inter se ad novos mores recipiendos nimis viderentur proclives, in comitiis tam universalibus, quam particularibus hæcenus Legatorum in diversos Ordines distinctionem non agnoverint, licet ab eodem Domino pluribus illuc missis Legatis unum illorum *Primarium* seu *Principalem*, reliquos *Adjunctos* seu *secundarios* vocari, non ita inusitatum fuerit. Postquam verò nostrates Principes cum Exteris concurrentes animadverterunt, hos singularem sibi prærogativam, in Legationum non ita pridem inventis differentiis & solennitatibus quærere, meritò & illi eodem jure usi sunt. Quum enim Legationum jus etiam olim ante repertas illas distinctiones, Principibus æquè ac exteris Regibus competiisse constet, utique & nunc liberum iisdem erit cujuscunque Ordinis Legatos mittere.

VI. Quæ cum ita sint, inauditum antea fuit de Legationis Jure Principibus moveri controversiam. Ipsum supremum inter Christianos caput Augustissimus Imperator Principum Ministris Legationum jus tribuere, nunquam dubitavit, nec Exteri Magnates debitum Legatis Principum negarunt honorem, præterquam quod solus Galliæ Rex lites hic nuper spargere



gere allaboraverit. Fufius enarrata à Furfinerio *Historiæ*  
Epitomen hic injicere, non erit, credo, abfonum. Refert au-  
tem ille: (λ) Postqvàm superiori anno ad consultandum com-  
modius de Pacis mediis, partes quorum intererat in conven-  
tum Noviomagi instituendum confensiffent, illuc tendentes  
*Caroli Junioris Lotharingiæ Ducis* Legatos in acceptis à Gallis  
falvi conductus literis non *Ambassadeurs* sed *Miniftres Depu-  
tées* vocatos, quod illi Germaniæ Principum Miniftris non nili  
Deputatorum titulum competere, contenderent. Interim,  
verò Gallos & *Brandenburgensæ Electori* plenarium Legationis  
jus (quod jam possessionem ejus nactus esset) concessiffent, &  
*Ducis* quoqve *Neoburgensæ* officialibus, (quod ejusdem Lega-  
tis binis terrisve vicibus in Poloniam missis idem planè, qui  
Regiis, honor esset exhibitus,) *Ambaffiatoris* nomen decrevis-  
se, sicqve an in cæteris non Principibus modò sed & *Electori-  
bus* eundem vellent dignitatis characterem agnoscere, diu ini-  
tiò dubitasse, *in ceremonialibus non rationem, non potentiam,  
non dignitatem, sed solam possessionem valere, ratos.* Post mul-  
tas tandem deliberationes mutasse sententiam, & quo in tam  
vasto & potente imperii corpore æmulationem atqve diffidias  
spargerent, ejusqve firmissimum fulcrum, concordiam, subrue-  
rent, constituisse, *Electorum* quidem omnium, nullius verò cæ-  
terorum Principum Miniftris *Ambaffiatoris* titulum & hono-  
rem se exhibituros: Hinc destinatas semel *Neoburgicis* & jam  
in *Mediatoris Anglici Legati* manibus existentes tabulas revo-  
casse, inibiqve expressum *Ambaffiatoris* nomen mutasse. Con-  
questos itaqve esse hâc de injuriâ quosdam maximæ auctoriga-  
tis Germaniæ *Duces*; Interposuisse autem se fœderatos *Belgii*  
*Ordines*, Legatis suis jam *Noviomagi* subsistentibus mandan-  
tes, ut apud *Mediatores* Legatos efficacissimis officiis inter-  
positis id agerent, ut auctorigate *Mediatorum Galli Sveciqve*,  
perpellarentur, ne in negandis falvi conductus literis, quales  
Legatis Principum deberentur, ultro persisterent. Neqve  
enim rationi consentaneum videri, ut *Coronæ* præscribant,

Prin-

(λ) cap. 2. 7. 4. & 6.



Principibus, quales ab illis Ministros mitti velint. Nam quibus jus Legationis in solidum competat, quemadmodum de Principibus Germaniæ negari non posset, his etiam electionem competere primine an secundi ordinis Ministrum mittere rebus suis convenientius ducant, nec fraudi esse posse si inferioribus Ministris sæpius usi sint. Tandem ergò Regem Galliæ Imperatoris se exemplum secuturum promississe: At non solum Legatum Cæsareum Brunsvico-Lunenburgensibus Ministris significasse, à se Legati titulum illis minimè in controversiam vocatum iri, sed & ipsam Cæsaream Majestatem, jus esse Principibus primi ordinis Legatos mittendi, jam satis declarasse. Quod posterius etiam ex tributo Lotharingicis Ministris in concessis illis salvi Conductus literis, Legatorum plenipotentiariorum titulo, satis manifestè constat, quemadmodum & olim in tabulis *Pacis Westphaliæ & Fæderis Rhenani* Cæsareos, Regios, & Principum Germaniæ Ministros sæpius conjunctos & sine discrimine communi Legatorum & Plenipotentiariorum nomine comprehensos, reperimus. Laudanda itaq; est Galliæ Regis ergà Cæsarem reverentia, nec dubitandum, æquissimum Imperatoris exemplum illum quoque æquo animo iaturum, nec in posterum tantis Principibus debitum, quem jure possunt, honorem denegaturum esse.

VII. Sepositis ergò jam supra pro jure Principum allatis rationibus, quum præcipuum Gallorum sententiæ fulcrum fuisse dicatur, *quod in rebus ceremonialibus non ratio, non potentia, non dignitas, sed sola possessio respicienda veniat*, quid tam infirmo superstitui possit fundamento, considerabimus. Notum autem est discrimina illa graduum Legationum olim, penè ignota hoc seculo demùm paulatim aucta & magis magisque stabilita esse. Ponamus ergò casum: Reges e. g. Hispaniæ, Britannici primos Legatis characterere præsentatio vestitis fuisse usos, Galliæ verò aliosq; Reges per aliquod temporis intervallum illas ceremonias omisisse: an ergò quod Hispani possessionem docuissent, Galli verò non item, his propterea denegandum fuisset eminentius illud Legationum jus? Absurdum foret hoc affirmare; æquè enim hi sunt Reges  
quam



quàm illi, ergò eorum etiam Legati æqualibus tractandi erunt honoribus. Vel ponamus, Gallos novas adhuc excogitare, primosque adhibere solennitates: Ergone Imperatori, quem antè exercitos similes actus in possessione esse nemo diceret, talia non usurpare liceret solennia? Similiter itaque, etiam si sola possessio consideranda veniret, attamen ut omnes ejusdem ordinis Principes in possessione juris Legationis esse intelligantur, suffecerit, si vel unus illorum Legatos cum caractere miserit ad Exteros, qui sine controversiâ pro talibus agniti, & consueto summo honore accepti & culti sint. Sanè enim qui hoc sufficere negaret, quid ad propositos de æqualis potestatis Regibus casus responsurus foret, non video; quemadmodum etiam, cur Galliæ Rex, si in singulis Principibus tam strictè possessionem requirit, omnibus & singulis Electoribus plenum Legationis honorem deferat, cum tamen Horum unus alterve saltim in possessione ejusdem fuerit, divinare nequeo.

IIX. Neque enim res meri est arbitrii, æqualium alteri convenientem Statui suo exhibere honorem, alteri denegare. Nam, quò quis in majori constitutus est dignitate, eo majorem huic deberi honorem, ipsa distributiva dicitur Justitia, quæ ex proportione gradus honoris dijudicat. Sic ergo honor in comparatione personæ unius ad aliam consistit, adeoque æqualibus æqualis debetur, & si hinc non attendenda esset proportio, nemo conformem dignitati suæ honoris gradum de Jure posset exposcere, sed unicè in honorantis voluntate atque arbitrio foret acquiescendum, nec alia honoris conferendi vel denegandi ratio requireretur, quàm, sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas. Hinc itaque qui alicui honorem non exhibet, quem ejus æquali, non ex civilitate, sed ordinario jure & ex merito contulit, omninò huic contumeliam infert. Notanter tamen de *ordinario* loquor honore: aliàs enim, si quis e. g. hospiti civilitatis ac urbanitatis causa superiorem fortè locum, aut alium honorem de jure illi non ita debitum concedat, ( $\mu$ ) in præjudicium hoc honorantis non potest vergere. Ast,

E

mul-

( $\mu$ ) quemadmodum exempla affert D. Jac. And. Crus. de *Præminent. lib. 1. c. 6. num. 16. & seqq.*



multis hæc disputare supervacaneum est, quum licet Galli so-  
lam possessionem spectandam esse jactitaverint, attamen factis  
ipso comprobantur satis, si unius Principis admitterentur Am-  
bassiatores, etiam aliorum huic dignitate æqualium Legatis ple-  
num honorem denegari non posse. In Ducis enim Neobur-  
gici Legatis non à Rege solum Regniq; Polonici Proceribus,  
sed & ab ipsis Gallicis Ministris character representatius  
agnitus, illisq; idem planè qui Regis honor erat exhibitus;  
quare in possessione illum esse, possessionem autem habenti jus  
deberi, in confesso erat; nihilominus tamen Noviomagi recu-  
sabant Ambassiatorum illis titulum tribuere, ne & cæteris Prin-  
cipibus idem jus concedere tenerentur.

IX. Si itaq; unicum hocce probavero: *Quosdam Prin-  
cipes in possessione sublimioris illius Legationum esse juris*; simul  
manifestum evasurum puto, Illorum, qui Principibus his digni-  
tate æquales sunt, Legatis, æquales deberi honores. Jam ve-  
rò primò in confesso est, Italis Principibus hodiè hoc Jus am-  
plius non controverti, quin potius illorum Ministris *Excellen-  
tiae* titulum plenumq; Ambasciatorum honorem exhiberi.  
Facilimum quoque se iisdem, (quum initio à Pontifice aliis-  
que sua Jura in dubium quandoque traherentur) & stre-  
nuum dignitatis eorundem propugnatorem ipsum Gallia Re-  
gem se præbuisse, varia ab Italis ipsis dispersa scripta loquuntur.  
Quum itaq; Itali neutiqvam Germanis Principibus subli-  
mioris sint conditionis, Italis sanè concessus ille Legationis  
honor ob paritatem causæ etiam Germanis Principibus com-  
petentia jura arguit. Quamnam enim eminentiam præ Ger-  
manis Itali jure possint prætere, equidem non video. Ur-  
gent quidem nonnulli, nostros Principes superiorem agnosce-  
re Imperatorem; Quasi verò Cæsari non idem competeret Jus  
in Italia Principes, quod in Germania Duces? Quò ergò Im-  
perii nostri in Italiam Jura perspicuè appareant, in vetustissimo-  
rum Scriptorum monumentis fundatam historiam ab origine  
brevissimis repetam.

X. Decrescente priscorum Occidentis Imperatorum  
Italiam pleno jure tenentium magismagisque potentiâ, tan-  
dem



dem *Odoacer* Herulorum Rex ultimo Imperatore *Augustulo* circa A. C. 476. imperatorio folio deturbato, Italiae se Regem profitebatur, quem titulum hujus victor *Theodoricus Ostrogothus* ejusque successores per 77. annos servarunt, donec ultimo horum *Teja* à Justiniani bellico Duce *Narse* regno vitaeque exuto Italia in Provinciam Imperii Orientalis redigeretur. (v) Sed nec hic Status diuturnus fuit. Narses enim ab Imperatrice contumeliâ adfectus *Alboinum* Longobardorum Regem. Ao. 567. in Italiam evocabat, qui totam penè Italiam (præter Exarchatum seu Ravennæ præfecturam) sibi subjiciens, eam sub Longobardici Regni titulo rexit. Quum verò ex hujus Successoribus *Aistulphus* denique Ravennam ac ipsam quoque Romam invaderet, *Pipinus* Francorum Rex *Stephani III.* Pontificis precibus motus illi Ravennam aliaque inique occupata loca armata manu rursus extorsit, quorum utile Dominium hunc Papæ donasse & sic simul Patrimonio St. Petri originem dedisse ferunt. Ipsius verò in Regno Longobardiæ successor *Desiderius* contra datam fidem Ravennam rursus invadens à *Carolo M.* Pipini filio penitus Regno est exutus, qui totâ Italiâ subjugatâ, Pontifici à Patre ipsi donatum Exarchatum confirmans, sibi ipsi Longobardicum Regnum asservavit, ac tum primus Occidentale Imperium, per *Leonem* Papam Ao. 800. Imperator Augustus renunciatus ac coronatus, rursus stabilivit. Hujus posterii variâ fortunâ Rom. Imperium gubernarunt, adeò ut & *Caroli Crassi* imperium Germaniæ Principibus detrectantibus, Italiae quoque Magnates se eidem subduxerint, *Lividonem* Ducem Spoletanum, & post illum *Berengarium* Reges sibi constituentes. Tandem verò *Otto M.* Italiam & Romanum Imperium Germaniæ regno rursus vindicavit, *Berengario II.* subjugato (ξ) eidemque Ao. 952. Italico Regno in feudum primò concessio, postea verò, cum nihilominus rebelaret, eodem cum filio *Adelberto* Ao. 961. Regno planè expulso. (o) Quamvis verò deinceps absentibus Imperatoribus,

E 2

vel

(v) conf. D. Sagittar. *Nucl. Hist. Germ.* §. 20. & seqq.

(ξ) Wittekind. *Monach. Corb. lib. 3.* *Otto Frisingensis lib. 6. Chron.* c. 19. (o) Luitprand. *lib. 6. c. 1.*



vel exteris etiam bellis implicitis Magnates sæpè Italiae sibi  
 plusculum potestatis sumerent, semper tamen ad obsequium,  
 statim redacti sunt. Quemadmodum constat, quum in Co-  
 mitiis Roncaliensibus Anno 1158. de iustitia Regni & de Rega-  
 libus, quæ seu temeritate invadentium, seu neglectu Regum,  
 Imperio deperierant, studiosè Cæsar disquireret, *tam Episco-  
 pos, quam Primates & Civitates uno ore uno assensu in manum  
 Imperatoris omnia resignasse Regalia*, undè ad 30000. talento-  
 rum Publici Cæsaris reditus quotannis aucti sint. (π) Sic itaqve  
 ad *Friderici* usque II. tempora Italiam Germanicorum Juris  
 mansisse omnes testantur illius temporis Historici (ρ) Cum  
 Friderico verò II. totum concidisse Italiae Regnum, & *Rudol-  
 phum* Habsburgicum Imperatorem acceptâ certâ pecuniæ  
 summâ plerisque potentioribus Italiae Civitatibus libertatem,  
 vendidisse multorum fert opinio. Hûc Sigonii verba (σ) ad-  
 duci solent: *Hujus Regni Jura superioribus temporibus constan-  
 ti populorum contumacia imminuta, ut primus ultro alienasse  
 Rudolphus Cæsar dicitur, sic etiam primus viam aperuisse  
 ipsas Regni excidio existimatur &c.* At notanter ipse pri-  
 mò Sigonius non quasi omninò certum hoc affirmat, sed sub-  
 dubitans ait: *alienasse dicitur & existimatur.* Nec enim Au-  
 torem Rudolpho coævum citat, sed unius Flavii Blondi, qui  
 ultra 200. annos post Rudolphum vixit, quemque reliqui Scri-  
 ptores secuti, autoritate nititur. Neque etiam ullus hætenus  
 alius Italus de venditâ hoc modo libertate publicè consignatas  
 produxit tabulas, nec ipse Sigonius, ut ut de se scripserit: (τ)  
*Sese vetera Italiae tabularia perlustrasse atque omnia ferè, quæ apud  
 Civitates, Ecclesias, Monasteria, Pontificum, Regum atque Impe-  
 ratorum Diplomata resideant, aut præsentem inspexisse, aut certè  
 absentem beneficio amicorum hospitemque cognovisse.* Præterea  
 ipse

(π) Vid. Radevicus lib. 2. c. 5.

(ρ) Confer. Dn. Conring. de Finib. Imp. Germ. cap. XI.

(σ) Carol. Sigon. lib. 20. de Regn. Ital.

(τ) in Epist. ad Jacob. Boncompagnum, hujus operi præfationis loco  
 præmissa.



ipse primus fabulæ hujus ( ut videtur ) auctor Blondus, (v) minimè asserit, plenariò à Rudolpho Italicas Civitates Imperii Juribus exemptas, sed in libertatem quidem dimissas, *simul tamen Imperii fideles, ab Imperatore pronunciatas esse*, expressè scribit; sicuti nec ex illius ævi Historicis probari potest ullam Italicarum Urbium statim post Rudolphum omne obsequium Imperatoribus negavisse, quùm potius non comiter saltim, sed humili veneratione Imperium observasse, constet. Undè mihi quidem illud saltem intendere Blondus videtur, quùm in Comitibus Roncaliensibus (φ) Imperatori Civitates omnia usurpata ab ipsis *Regalia, consulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, pedatita, molendina, piscarias, & annuos etiam de propriis suis capitibus census, reddere coacti essent*, Rudolphum illis non omnimodam, sed aliqualem libertatem & quædam, fortè horum jurium concessisse. Et maximè sanè adhuc dubia est quæstio, an Rudolphus in fraudem Imperii subditos hos alienare potuisset? (x) Undè tandem cum Bodino (ψ) concludo: *Quum jura Majestatis Imperii Germanici venalia non sint; nec si essent, ab Imperatoribus sinè Principum Germanorum consensione distrabi potuerint; perspicuum fit, eas pecunias, quæ à civitatibus Italiae pro libertate adipiscendâ exactæ fuerunt, tributi aut pensionis nomine solutas fuisse.* Quare cum Imperatores nec posteris Principibus, nec Imperio Germanico præjudicium creare potuerint, nemini dubium est, quin semper liceat ac licebit Imperatoribus Civitates illas in ordinem cogere, non aliter quàm Domino in servum fugitivum perpetua manus injectio est. Imperatoris enim Jurisdictio fundatam intentionem habet contra omnes personas cujuscunqve Status, gradus, dignitatisve sint. (ω) Hinc ergò modernus Imperator Leopoldus ubi in Capitulationis art. XII. in genere primum promisit: *Er wolle sich auf das höchste bearbeiten und allen möglichen Fleiß*

E 3

und

(v) notantè laudato Conring. de finib. Imperii c. 23.

(φ) teste Radevico supra cit. lib. 5. c. 6.

(x) Conf Bartol. de las Casas in Q. utrum principes subditos alienare possint §. 12. n. 9. §. 18. n. 4. §. 22. n. 1.

(ψ) lib. 1. de Repub. cap. 10. n. 123.

(ω) Casp. Klock, de Contrib. c. 7. n. 241. ibiq; citati Auct.



und Ernst fürwenden / dasjenige / so vom Reich kommen / zum  
förderlichsten wieder dazubringen / in specie statim, de Feu-  
dis inprimis Italicis sollicitum se futurum, subjungit.

XI. Haftenus ergo Imperii Germanici in Italiam Jura  
spectavimus: nunc quem singuli ejus Principes superiorem,  
recognoscant paucis adhuc expediemus. Celebres hodie  
Italiae Duces sunt, *Hetruria*, *Sabaudia*, *Mantua*, *Musi-  
na*, *Parma*, *Urbini*. Magnus *HE TR URIÆ* Ducatus vulgò  
in Dominium vetus, Florentinam Pisanamq; & novum, Senen-  
sem urbem aliaq; noviter acquisita comprehendens, dispesci-  
tur, *Vetus Dominium* à multis absolutum & liberum credi-  
tur, quum Florentini jam dudum 6000. florenis à Rudolpho  
Cæs. libertatem se redemisse (a) jactitent, pro obtinendâ verò  
summâ in Pisanos potestate Petrus Gambacurtius Carolo IV.  
Cæs. 12000. florenos numerasse (b) dicatur, quæ quidem ven-  
ditio quam dubiæ sit fidei, sufficienter, credo, supra probatum,  
est. Ast ex recentiori modò Historiâ tetigisse suffecerit, Anno  
1530 Carolum V. Imp. Florentiam, ex eo, quod adversus Cæsa-  
rem arma tulisset Majestatis ream, occupatam ad officium re-  
degisse, & quas jactitabant, immunitatibus privatam & exu-  
tam, Alexandro Medices in feudum dedisse, huncq;ve ejusdem  
Ducem creasse. (c) Quamvis verò statim Alexandri successerit  
Cosmus à Pontifice Magnus Hetruriæ Dux creatus Imperio se-  
se eximere tentaret, Maximilianus tamen I. coram suo judicio  
eum se sistere coëgit, eiq;ve tandem tanquam Imperii benefi-  
ciario seu Vasallo Cæsareo diplomate Magni Ducis contulit  
titulum. (d) Ratione *noviter acqvistorum* à Milaspinis olim,  
Possessorum Marchionatum Vasallum se Imperii Magnus  
Dux ultrò profitetur. Senensem Rempubl. & Ilvæ Dominium  
Carolus V. jure Imperii ad se devolutum Philippo filio conces-  
sit, undè jam Hispaniæ beneficio Hetruriæ Dux possidet, quum  
verò

(a) Bodin. *de Rep. c. 10. n. 123*. Platina *in Vitâ Honorii*, Natta *Consil. 637*.  
num. 23.

(b) Bodin. *d. l. Marta de Jurisd. p. 1. c. 33. n. 108*.

(c) Paul. Jovius *lib. 27*. Gvicciard. *lib. 19*. J. de Laët. *de Princip. Ital. in  
Opusc. Elz. pag. 261*.

(d) Thuan. *lib. 60. ad ann. 1575*.



verò Hispanus hæc tanquam feudum Imperii recognoscat, hinc & hujus ratione Sub-Vasallus ille Imperii manet. (e)

SABAUDIAM Burgundici olim Regni partem Henricus V. Imp. primus in feudum commisit Amadao II. Mauriennæ Comiti, huncq; primum Sabaudia Comitem creavit, cujus deinde posterii à Sigismundo Ducali titulo insigniti: Illos verò hodieq; Imperii Vasallos esse multis historicorum documentis, (f) si opus esset, probari posset; sed præterea quod in ipsis Imperii Recessibus toties (n) des Heil. Reichs Fürst und Lehmann/item des H. Reichs Eigenthum vocatur, quod ad Comitatus Imperii citatur (s) item quod aliquoties, uti Anno 1525. & 1601. ob non solutas collectas in bannum declaratus, (i) sufficienter hoc novissimè Instrumentum Pacis Monaster. & Matricula Imperii, inibiq; ipsi adscripta certa collectarum summa, commonstrat.

MANTUÆ Duces à Passarino (vel ut alii vocant, Ludovico) Gonzaga, qui à Friderico II. Imp. primum Mantuæ Capitaneus, & Romani Imperii ibidem vicarius constitutus, cujus nepos Ao. 1432. à Sigismundo Marchionis, & ex hujus tandem successoribus Fridericus A. 1530. Ducis titulum à Carolo V. reportarunt, originem ducentes, ultrò se Imperii Germanici Principes, & in Imperii Patrocinio ac fiducia esse profitentur. (u) *MVTINÆ Dux Imperii Germanici Vasallus est,* incipit Historia Princip. Italiae à Segetho edita (v) Primus Mutinæ Dominatum accepit Opizo Atestinus, Marchio Ferrariensis A. 1289. Post varias mutationes A. 1331, Manfredus Pius  
Vica-

(e) Conring. de fin. Imper. c. 27. ed. pag. 24.

(f) Conf. Thuan. lib. 7. histor. ibi: Sabaudia ac Allobroges Imperio ac legibus Imperii parent. Bodin. de Rep. l. n. c. 10. n. 129. Conring. de fin. lib. 13. ac 23. Sprenger. in Lucerna Imp. c. 2. pag. m. 207. tract. de Princ. Ital. ab Elz.

(n) R. A. zu Regensb. de anno 1541. S. Nachdem aber in dem unser Schwagers 6. R. A. zu Speyer. d. anno 1544. proem.

(s) Vid. Catalogus personarum Recessibus Imperii subjunct.

(i) C. Klock. de Contrib. c. 4. n. 139.

(u) Bodin. lib. 1. c. 10. n. 122. Tract. de Princ. Ital. edit. ab Elz. p. 27. Conring. de Fin. ib. c. 23.

(v) in Opusc. Elz. p. 30.



Vicarius Imperii à Johanne Bohemiæ Rege institutus, qui Principis nomen assumpsit. Hic illam Opizoni II. Ferrariæ Marchioni concessit 1336. ex quo tempore in ditioe perseveravit familiæ Atestinæ ( $\mu$ ) quæ uti omnium Italicarum facilè vetustissima & jam antè Azonem Atestinum A. 1081. mortuum (à cujus natu minore filio Azone II. linea hæc originem ducit) diu illastris fuit, ita ob propagatam à primogenito Welfo cognomento robusto Serenissimam Brunsvico - Luneburgensem Domum toto hodieq; orbe celebris est. ( $\nu$ ) Licet verò Ao. 1510. Julius II. Papa urbem hanc captam Maximiliano Imp. cederet, & ab hoc Ao. 1514. rursus Leoni X. Papæ pro 10000. aur. pignori daretur, iterum tamen 1527. ab Alphonso Atestino Ferrariæ Duce recuperata, eidemq; quum Clemens VII. oblatam pecuniam respueret, per Caroli V. sententiam confirmata est. Alfonso verò II. Ao. 1597. improle decedente, Cæsar, Alfonsi I. ex filii Alfonsi cum vili fœminâ contubernio natus Ne-  
 pos Ferrariensem quidem Ducatum à Pontifice obtinere non potuit; Mutinam tamen & reliqua ad Imperium German. spectantia retinuit. ( $\xi$ ) Undè hodieq; Mutinenses Duces Imperio subsunt.

*Farnesiorum* PARMÆ PLACENTIÆq; hodiè Ducum familia demum sub Paulo III. Papa adolevit, hoc, s;veto Pontificum more, filio suo Petro Aloisio primò Novariam Urbem à Carolo V. Cæsare impetrante, Octavii verò sui ex hoc Petro nepotis dignitatem, procuratis ipsi Margaritæ Cæsaris filia nuptiis, stabiliente, ipsiq; beneficiario Jure Cameracium Principatum, & tandem quoq; Ao. 1544. Parmam Placentiamq; concedente. Quo ipso Cæsar initio offensus, tandem delinitus rursus, genero huic suo Octavio Farnesio Ao. 1556. Placentiam, & Castella in Parmensi agro à Cæsareanis occupata, concessit, hæc tamen lege, ut *Imperio salvæ manerent rationes, quas in Parmensi ditioe haberet.* ( $\theta$ ) Neq; etiam Imperator vi Capitulationis

( $\mu$ ) uti ex Joh. Bapt. Pignæ. lib. 3. Histor. Atestinæ tradit Joh. de Laet in d. opusc. pag. 298.

( $\nu$ ) Dn. Spener. in Sylloge Genealog. Famil. Gvelf. pag. m. 477. seqq.

( $\xi$ ) Thuan. lib. 119. p. 479.

( $\theta$ ) Vid. Tract. de Princ. Ital. in Opusc. Elz. & pag. 302. 308.



lationis hunc Principem Imperii Juribus planè eximere potuisset.

Et hi sunt majores Italiæ Principatus: De Rebuspubl. & minoribus Dynastiis jam nostrum non est inquirere, aliàs facile liceret evincere, verè dixisse Bodinum: ( $\pi$ ) *Sublatâ Venetorum republ. nulli sunt in Italia Principes, nullæ Respubl. quæ Imperium ac potestatem aut Regi Francorum, aut Imperatori aut Pontifici Romano non ferant acceptam.*

XII. Sed ut in viam redeam, brevissimam hanc Italicæ historiæ epitomen prolixè spero patefacere, Principes Italiæ non solùm æqvè esse Vasallos, ac Germaniæ Duces: Verùm etiam, siue stirpis spectes, siue Ducalis in illa stirpe dignitatis ( $\rho$ ) antiquitatem, hos multis illos parasangis antecellere. Sic enim *Magni Hetruriæ Ducis* familia demùm superiori seculo inclauit. *Sabaudie Domini* ex antiqua Comitum Mauriennæ profapia orti, Ducalem tamen dignitatem demùm sub Sigismundo Ao. 1432. obtinuerunt. *Mantue* quoque Ducum Gonzagica familia per 300. quidem annos hoc territorium, sed principio ut Magistratus Cæsarei & Dynastæ, ab annò verò demum 1530. ut Duces gubernarunt. *Parmæ* Ducum Gens Farnesia demùm sub Paulo III. Papa efflorescere cæpit. *Mutine* verò Principum familia omnium Italicarum antiquissimam Ducaliq; dignitate diutissimè fuit inclyta. A communi quippè cum Serf. mis Brunsvico-Lunæburgensibus Ducibus stirpe, Azone videlicet, Marchione Atestino, suam quidem derivat originem, attamen Brunsvicensis familia caput est hujus gentis, siquidem illa à primogonito Azonis filio Welfo Bavariæ Duce propagata, & jam ab ejus usq; ævo Anno sc. 1071. Ducali eminentia præfulsit. Aliarum quoque Celsissimarum, Germaniæ Domuum antiquitatem Italos similiter præcellere, ex omnibus quotqvot illorum Genealogias vel Historias tradidere, Scriptoribus patescit, undè fusius hæc deducere supervacaneum duxi. Hinc ergò & in Matricula Imperii Itali Prin-

F

cipes

( $\pi$ ) Bodin. lib. 1. de Reb. cap. X. n. 122. C.

( $\rho$ ) quæ præcipua in Præminentia & præcedentia controversiis esse fundamenta monet Crus. de Præmin. lib. 1. c. 6. n. 38. & 57.



cipes Germanis in ordine postponuntur, & Sabauda in Comitibus locus quidem, sed post Brunsvicenses aliosque Germaniae Duces, conceditur, quam causam nonnulli esse conjiciunt, (σ) quod amplius in conventibus Imperii non compareat, cum potiore affectare soleat locum, quem tamen de jure obtinere nequit.

XIII. Sed ponamus Italiae Principes de facto neminem superiorem recognoscere, licet de Jure omnino superiorem habeant (τ) vel, quemadmodum alii asserunt, non verò satis probant: Licet non omnes Italorum ditiones liberae & exemptae sint, quasdam tamen possidere Imperio planè non abnoxias; An igitur plus propterea honoris sibi tribui merebuntur, quam fidi Imperii Principes? Sanè Brandenburgensem Electorem, in Borussia neminem superiorem recognoscere, neque tamen propterea praë Bavariae Saxoniaeque Electoribus praecedentiam habere, in aprico est. Similiter itaque nec illi de facto potius, quam jure quasdam minores provincias Imperii potestate eximentes inde praecipuum quid sibi arrogare poterunt. Hoc tamen concesserim facile: Exteros quosdam, quibus unitae Germaniae vires formidabiles, majoribus honorum illecebris mulcere illos, qui ab Imperio se separare conantur, quo plures ad simile audendum, imperiique ita potentiam debilitandam, alliciant; quemadmodum in simili ad imminuendas nimias vicini vires, alterum alterius rebellibus forsan subditis subsidia saepe mittere & intestinas fovere discordias, exempla satis sunt obvia.

XIV. Itaque mirum sanè videtur, cur tantopere Italorum nonnulli contentur Imperii Germanici in se suasque ditiones Jura excutere; quasi verò nostrorum Principum libertati & splendori officiat, quod S. Imperii se profiteantur Vasallos? Egregia hanc in sententiam sunt Proculi Jcti (υ) verba, qui liberum, ait, manere populum, licet alteri inaequali foedere junctus, vel foedere hoc comprehensum sit, ut hic populus alterius

(σ) Spreng. *Lucerna Imp.* cap. 2. p. m. 202.

(τ) ut Fulv. Pacianus dicit *Consil.* 60. n. 15.

(υ) *l. non dubito 7. ff. de captivis & postlim.*

ma-



majestatem comiter conservaret. Hoc enim, dicit, adjici, ut intelligatur alterum populum superiorem esse, non ut intelligatur, alterum non esse liberum. Quemadmodum enim (argumentatur Proculus) Clientes nostros liberos intelligimus esse, etiamsi neque auctoritate, neque dignitate, neque omni Jure nobis pares sint: Sic & eos, qui Majestatem nostram comiter conservare debent, liberos nihilominus esse certum est, & sicut Patrocinium Privatam non tollit libertatem Personalem, ita Patrocinium Publicum non tollit libertatem Civilem. Egregie ulterius allegatum locum deducit & explicat Hugo Grotius (φ) ubi etiam de nexu feudali, quod ille summæ potestati non obsit, differit. Jus, inquit ibi, Vasalli in rem tale quidem est, ut ipsum imperandi Jus, si feudi jure teneatur, aut familiam extinctam, aut etiam ob certa crimina amitti possit. Sed interim summum esse non desinit: aliud enim est res, aliud rem habendi modus. \* Frequens itaque Jctis est Baldi illud dictum: *Servire Romano Imperio esse libertate potiri*, ex quo & aliis fundamentis probant Imperatorem recognoscentes Principes non debere esse inferioris gradus aut conditionis illis qui eum non recognoscunt. (χ)

XV. Eo ipso quoque quod Germaniæ Principes status sunt Imperii, & suffragii Jus in Comitibus habent, tantopere præcedunt Italiæ Principes, hoc jure, Sabaudis excepto, destitutos,

F 2

quan-

(φ) de Jure B. & P. lib. 1 c. 3. n. 23.

\* Olim honoris ratione haud parum interesse putabatur, an Principes à solo Imperatore, an verò etiam ab Episcopis & aliis Statibus feuda recognoscerent. Unde Imp. Fridericus in *praf. Jur. Feudal. Saxon.* hoc nomine Serenissimos Duces Brunsvicenses Electoribus æquiparat, ibi: denselbigen (Herschild) haben auch die Churfürsten/ und die von Braunschweig/darum/ daß sie keines Bischoffes Manne sind; und diese sind genand super illustres. Hodie tamen hæc non amplius ita attendi & ipsos quoque nonnullos Electores & Principes feuda recognoscere ab iis, à quibus non solum non inferiores habeantur sed & titulo Dominorum clementissimorum, gnädigste Herren colantur, ostendit Dn. Eyben *Elect. Feud. cap. 8. §. 13. & c. 11. §. 9. item in not. ad tract. de tit. Nobilis §. 18.*

(χ) Anton. Sola in *Constit. Sabaud. in Proëm. decret. gl. 3. n. 12. & seqq.* Casp. Klock. de *Contrib. conclus. 10. in fin.* Reink. de *R. S. & E. l. 1. Cl. 5. cap. 5. n. 20.*



quantum inter Principis cuiusdam Vasallos, Nobilis ex Equi-  
 stris feudi possessione in Matriculam Ordinum Ducatus illius  
 receptus, & in Provincialibus conventibus votum obtinens,  
 dignitate superat alium Vasallum ignobile tenentem feudum,  
 & in numero quidem publica onera, non verò commune in  
 publicis deliberationibus, votum ferentium, comprehensum,  
 quâ talem. Dum enim Itali, ut fusiùs probatum, ad Imperi-  
 um Germanicum pertinent, nec tamen suffragia in Comitibus  
 ferre admittuntur, similis quodammodo conditionis videntur  
 cum immediatis Germaniæ Nobilibus, utpotè à quibus non  
 Juribus & privilegiis, sed feudi saltim magnitudine distingvun-  
 tur. Quod verò prætereà Illius, quem Germani ex germano  
 sanguine oriundum elegerint, Imperatoris Majestatem hi ipsi  
 adorare tenentur, quibus spes omnis ad tantum emergendi  
 culmen planè præclusa, illos pro victis & subactis ab Imperio  
 Germanorum Romano, haberi, arguit. Hinc Galliæ Rex Bern-  
 hardo Saxo-Vinar. Duci A. 1636. Parisiis coràm se caput regen-  
 ti, non alia ex causa indignatus dicitur, quàm quod iste, qui licet  
 ex Serf. ma domo oriundus, Junior tamen familiæ esset, *nec vo-  
 tum in Comitibus haberet*, talia fuerit ausus, (x) quo ipso clarè  
 satis concessit, characterem Status magnam & regiam penè  
 præminentiam addere Principi Germ. Et quare testantibus  
 actis publicis ipse Rex Franciæ in tractatibus Pacis Osnabr. li-  
 bentius acceptasset characterem Status Germanici, si voluis-  
 sent Imperii Proceres?

XVI. Sed si propterea Principibus nostris plenus Lega-  
 tionis denegandus honor esset, quod Imperii se membra profi-  
 teantur, (ψ) cur quæso Electoribus unanimi Exterorum con-  
 sensu hodie conceditur, qui æquè ac Principes cæteri indubi-  
 tate

(x) Vid. Auctor des Mémoires touchant les Ambass. p. 78.

(ψ) quemadmodum idem Auctor pluribus disserit pag. 76. ubi La  
 Cour, inquit, de France ne veut pas traiter d' Ambas-  
 sadeurs les Ministres des Princes d' Allemagne, parce qu'  
 étant dependants, à ce qu' elle dit de l' Empereur, ils ne peu-  
 vent pas estre Souverains. & præcedente pag. 68. Le droit d' en-  
 voyer des Ambassadeurs est inseparable de la Souveraineté. Il  
 n' y a point de Souverain, qui ne puisse envoyer des Ambassa-  
 deurs, & il n' y a que des Souverains qui en puissent envoyer.



atè Imperatorem recognoscunt Superiorem? Neque enim dici poterit, ex urbanitate, non ex debito Electoribus hunc exhiberi honorem, quem Serenissimo huic ordini absque omnibus dubio deberi, vel ex adductis hactenus pro Principum jure rationibus satis liquidò constabit. Imò si adhuc obligatio eorum erga Imperium scrupulum alicui relinqueret, darem instantiam: Reges Hispaniæ, Daniæ, Sveciæ eodem se Imperio obstrinxerunt Vasallagio, quo Germaniæ Principes; nullum enim discrimen est inter formulam sacramenti, quod Principes Germ. & quod exteri Reges Imperio præstant. Ita & Reges Romano-Catholicæ religioni addicti Pontificem superiorem, & in certis causis Judicem agnoscunt, imò, quamvis hodie decrevisse non nihil ejus videatur auctoritas, tot tamen in antiquis historiæ monumentis testantur exempla, olim Pontifices Imperatoribus Regibusque imperium & Regna sua abjudicasse, iisque delinquentibus gravissimas injunxisse pœnas, & longè majorem in illos quam Imperatores in Principes sibi sumunt, exercuisse potestatem: Reges contra quosdam suas terras vel ut feuda, vel donationis titulo ab Ecclesiæ suæ Capite recognoscere. Si ergò hi propterea summam potestatem, & indè dependens Legationum jus amiserunt, etiam de Electoribus & Principibus concedemus, aliàs minimè.

XVII. Singulares quidem præ reliquis Principibus Electores obtinent prærogativas, quæ enarrantur in ita inscripto: *Sensu Genuino Artic. 8. Instr. Pac.* (ω) quem tamen sensum non adeò genuinum esse, quum quædam absque hæsitatione inibi intermiscantur indubitati quasi Juris privilegia, quæ reliqui Principes nondum Electoribus privatim concesserint, & de quibus adhuc valdè inter illos controvertatur passim inculcat Furstenerius, præcipuè c. 38. & seqq. Sed ne prolixius divagatus academici egrediar exercitii cancellas, controversias illas tractare supersedeo; quemadmodum nec meum est, de arganâ, quæ Cæsares ad concedendas tam largas Electoribus

(ω) adjecto scripto gallico: *Lettre d'un desintéressé à son sien amy touchant le titre d'Ambassadeur.*



præminentias compulerit, Status Ratione, disquirere. (α) Interim tamen hæc assertio impugnari nequit: illa Jura, quæ Leges Imperii exclusis Principibus cæteris expressè non tribuunt solis Electoribus, utrisq; communia esse; Ita quamvis secundùm constitutiones Imperii diversa faciant Electores & Principes in Comitibus Collegia, in literarum tamen ab Imperatore ad congregatos ibi Status datarum inscriptione benè Cæsarea Majestas majores status Electores & Principes eodem titulo comprehendit & conjungit, Minores verò Status ab his segregat. (β) Ita & quoad *solemnia in investitura feudorum majorum consveta*, inter Electores & Principes alios nulla planè agnoscitur differentia; utrisq; Cæsar ipse iisdem ceremoniis feudum confert; utrisq;ve etiam liberum est, an ipsi, an per delegatum investituram velint accipere. At Comites aliiq;ve inferiores Status non iisdem solemnibus, neq;ve per ipsum Imperatorem, sed per Senatus Aulici Consiliarios, investiuntur. (γ) Nec minùs utriq;ve titulis suis præfigunt solennem illam formulam: *Nos Dei gratia*, quam ab antiquissimis temporibus, & dui anteqvam Principum illa distinctio innotuit, & Imperatorem eligendi Jus communi consensu in illum qui hodieq;ve hæc præmentia fulget Serenissimum Electorum ordinem, translatum est, usurparunt, quem titulum iis competere, qui neminem superiorem agnoscunt, & qui à nemine nisi Deo & gladio sive bello possint cogi, Chassanæus (δ) & alii convincunt.

Undè

(α) de quâ *Aut. der Grundf. p. 2. c. 1. pag. 67.* reliquorum Principum & statuum querelas exponit, uti & *p. 3. c. 8 p. 316.*

(β) Ita inscriptio literarum Credentialium, à Commissariis Cæsareis in Comiciali Propositione Ratish. d. 20. Jan 1663. exhibitarum hæc fuit: *Denen Hoch und Ehrwürdigen/ Durchlauchtig auch Hochgebornen/ Unseren und des Reichs Chur- und Fürsten/ Geist und Weltlichen/ Unseren lieben Bettern/ Nesen/ Freunden/ Dheim un Schwägern/ auch Wolgebornen/ Edlen/ Ehrsamem/ Gelerthen / lieben andächtigen und getreuen/ Prälaten/ Grassen/ Freyen/ Herren/ Reichsständen und Gemeinen &c.*

(γ) Sprenger. *in Lucern. Imp. cap. 2. p. 178.* Carpzov. *ad L. Reg. Germ. c. 10. s. 9.*

(δ) *ad consuetudines Burgund. in Proem. ad verba: par la grace de Dieu. conf. Rebuff. tom. 2. Constit. Reg. tr. ubi beneficiente &c. art. 2. Gloss. 1. Loyseau des Seigneuries chap. 3. n. 66. ibi: qui ne tien.*



Undè & Bodinus (e) testatur Ludovicum XI. Gallia Regem, jussisse Armoriarum Ducem, ut hunc titulum omitteret, & Comitem quendam de Armagnac, quod hanc formulam usurpasset, Majestatis accusatum, auctor est Pet. Arodius. (?)

XVIII. Sed prolixum nimis foret omnia illa sublimia Principibus cum Electoribus communia jura recensere. Suffecerit monuisse, omnia Regalia utrosque æquè plenariè exercere, paribus præcipuè Belli, Pacis, Fœderum juribus gaudere, iisdem vivere Legibus, & parem in subditos suos tenere superioritatem. Quare quum quoad Legationum Jura diversi quipiam nullibi in fundamentalibus Imperii Legibus reperiatur constitutum; hinc sicuti de Jure optimo Electores possident Legationis Jus; Ita & cæteris Principibus idem sine contumelia abjudicari nequit. Undè & auctor *de la lettre d' un desinteresse* pro Electorum Prærogativa editæ, fatetur Electores dignitati Principum & nominatim eorum Legationis Juri non obstare, & svadet, ut hi non expectato Gallorum salvo conductu Legatos Noviomagum mittant, & Gallos eodem modo tractent, quo ipsi suos Ministros tractabunt.

XIX. Quamvis autem hæc, quæ Serenissimis Germaniæ Principibus indubitatè competere demonstravimus Legationum Jura, non omnes forsan æquè crebrò exercuerint, non tamen exempla defunt eorum, qui pleno jure & miserunt & receperunt Legatos. Qualia hic adducere, & iisdem has quas allegavimus rationes obsignare non inconueniens fanè foret: Ast quum temporis penuria magis sollicitè in hæc inquirere non permittat, & plura quoque in absconditis Principum Archivis quam publicatis Historicorum monumentis reperiri exempla, dubium non fit, ad illustres illas à sapiùs laudato Cæs. Furstinerio (n) hoc fini recensitas Principum Legationes, me refero. Pluribus enim ille exponit & probat de Serenissimis

Ar-

*tiennent leur Estat, que de Dieu & de l'Espee. C. Klock. de Contribut. s. 4. n. 146. (s) lib. 8. de Republ. c. 10. n. 172.*

(?) *lib. 7. Rerum Judicat. tit. 3. c. 9. pag. 563.* Plurima de hac materia collegit & binis dissertationibus *de titulo Nos Dei Gratia* edidit D. Geisler.

(n) *cap. 57. & seqq.*



Archi-Ducibus Austriae, Ducibus Lotharingiae, Bavariae, etiam antè adeptum Electoratum, Neoburgensi, Juliae ac Cliviae, Holsatiae, Würtembergi & Landgraviis Hassiae, quam splendidas illi ipsi miserint Legationes, quam honorificè illorum Ministri ubicunqve locorum accepti, & quomodo plenus in iisdem agnitus sit representativus character. Praeprimis autem in his notari meretur, quod, quemadmodum hoc ipso tempore, quo Principibus quaestio mota est, Generalis Belgii Hispanici Gubernator Duc de Villa Hermosa Legatos Lotharingicos in salvi conductus literis vocat *Ambassadeurs & Plenipotentiaires*, ita & Caesar eosdem *Legatos & Plenipotentiariorum* nominet. At verò rectè monuit Auctor *de la lettre d'un des intéressés* &c. (3) Principibus Imperii plus semper honoris fuisse exhibitum à Regibus Galliae, quam ab Imperatoribus, propterea quod Imperator totius imperii habeatur caput. Mirum itaqve videtur, cur hodiè Christianissimus Galliarum, Rex sublime illud Legationum Jus Principibus nostris destruire conatus sit, quum tamen ille ipse aliàs Principum libertatem atqve honorem sibi curae esse, saepius professus sit, & toties cum his tractaverit *comme de Souverain à Souverain* (1) cujus exempla in Gallorum olim pro Electore Trevirensi edita Apologia, (2) reperiuntur uberrima. Meritò ergò potentissimi Germaniae Principes celsissimam suam auctoritatem defendentes sublimem illam mittendi primi ordinis Legatos facultatem sibi vendicant, neqve etiam gloriosissimi Imperatoris, si opus esset, illis defuturum credibile est auxilium, quum in Capitulatione Caesar Principibus defensionem jurium suorum promiserit, & eo ipso quo praecipuis hisce Imperii membris sua stabilitur dignitas, totius Imperii Majestas conservetur.

(3) pag. 30. les Roys de France ont de tout temps accordé, & exhibé aux Princes d'Allemagne beaucoup plus d'honneur & de civilité, q'se non pas les Empereurs q'vi en font reconnus comme Chefs de l'Empire.

(1) Uti loquitur Auctor *des Mémoires touchant les Ambassadeurs* p. 77.

(2) sub titulo: *Justification du Procédé de l'Electeur de Trèves, & quelle est la liberté des Electeurs de l'Empire & autres Princes d'Allemagne de faire des Traitez, & Alliances avec tous les Princes de la Chrétienté.*

CAP.



CAPUT IV.  
DE  
**SOLENNITATIBUS  
ET CEREMONIIS IN LE-  
GATIONIBUS ADHIBERI  
SOLITIS.**

S U M M A R I A.

1. *Literatos parum de hac materia scriptis prodiisse.*
2. *De Generalibus requisitis in omni Legatione, Mandato, Instru-  
ctione, Literis Credentialibus & Salvi Conductus.*
3. *Præcedentia & honor Principis ubiq<sub>3</sub> observandus.*
4. *De Titulis Domini.*
5. *De Legati Excellentie titulo.*
6. *Ritus qui in Gallia circa Receptionem Legati adhibentur.*
7. *Curialia circa audientiam, ubi de more tegendi se coram  
Regib.*
8. *Solennia circa alias visitationes.*
9. *Romæ in audientiis coram Pontifice consueta ceremonia.*
10. *Item in Visitationibus Cardinalium.*
11. *In Imperii conventibus non attenduntur Legatorum discrimina.*
12. *Nec titulum Excellentie ibidem Principes volunt admittere.*
13. *Nec Receptio illic eadem, quæ in singulorum Principum aulis,  
solita.*
14. *Exhibitio Credentialium in Comitibus.*
15. *Curialia in visitatione Commissarii Cesarei.*
16. *Si Cæsar ipse Principesq<sub>3</sub> presentes sint, quid moris in audi-  
entia.*
17. *Visitationes & Revisitationes Legatorum invicem.*
18. *Reliqua in Comitibus solennia.*
19. *Præcedentia Legatorum.*
20. *Solennia, ubi Cæsar Legato Principis investituram feudorum,  
Regalium confert.*

G

I. QVO



## I.

Qvo accuratius & magis sollicitè in Principum hodiè aul<sup>s</sup> ceremoniarum observantur solennia, eò magis quidem dolendum, minus illa ab erudit<sup>s</sup> viris curari, & tam pauca de his publicis scriptis inseri; non tamen adeò mirandum, cum Aulicorum splendorem umbratilis vita scholastica rarò illum inet. Hinc apud plurimos, qui de variis antiquorum Græcorum, Romanorum, aliorumqve populorum ritibus tantoperè sunt solliciti, de nostra republica, hodiernisqve moribus ( si otiosas, sed acerrimas disceptationes, cum quanam ex imaginariis illis rerum publ. formis, nusquam nisi in Utopia introducendis, modernus Reipubl. Status conveniat, excipias ) altum plerumqve silentium est. Sic ergo crescit indies librorum numerus, & de rebus sæpè futilibus & nullius momenti magna profant, & plura produnt volumina, cum contra eorum, quæ Politico aliquando vero esse possint usui, vix nisi ex Novellis & Relationibus variis, aut curiosis cum viris diuturno rerum usu edoctis, discursibus, prægustum capere liceat, donec in Principum aulis & Peregrinationibus à propriâ erudiamur experientia. Quâ hætenus juvenilibus annis academicæ mancipatis vitæ, destitutus, si quæ ex aliorum relationibus hoc congesti, forsitan non accurata satis forent, benevolam mihi promitto Lectoris interpretationem.

II. Considerabimus itaqve Legationum hæc solennia, prout vel apud Exteros, vel in Imperio usu veniunt. In genere autem omnis Legatus, sive intra sive extra Imperii limites negociaturus, ut persona sua quodammodo Privatorum sorte, & commercio exempta, eidemqve Juris gentium privilegia, communicata intelligantur, instructus sit necesse est, Mandato, Instructione, & Creditivis. *Mandatum* enim omnem vim & tractandi potestatem Legato confert, ut rectè indè Paschalius dicat: Quod Militi arma sunt, quod Gubernatori clavus est, hoc sunt Legato Mandata; quod anima homini, hoc est Mandatum Legationi. Strictè itaq; Legatus observare tenetur, *Mandatum*, quod vel *Generale* vel *Singulare* & ad certum negotium



gotium (\*) directum, item vel *strictum* & certo modo limita-  
 tum, vel *absolutum & liberum* (\*\*) (*Plenipotentiarum* titulum  
 Legato concilians) supra cap. 1. §. 4. esse diximus. *Instructio*  
 axis quasi videtur esse circa quam actionum Legati sphaera vol-  
 vitur, (a) & idem Legato, quod pyxis nautica Navarcho. In-  
 structio enim est quaedam quasi explicatio & interpretatio Man-  
 dati, modum quippe & rationem illud exequendi, ejusque limi-  
 tationes vel restrictiones continens. *Litera fidei seu Credentia-*  
*les* traduntur Legato, ut non saltim credatur ei, qui mittitur, sed  
 & qui mittit, imò & qui admittit. Mandata enim frustra es-  
 sent, nisi fide & auctoritate roborarentur. Quod si verò Legatus  
 ad hostem Domini, vel aliorum, ubi non satis tutum esse puta-  
 tur, mittendus est, ab adversa parte necessario prius petuntur  
*Salvi Conductus litera*, quas *Passports* vocant; quae ipsae quam  
 accuratè examinentur, quam scrupulosè quodlibet verbulum,  
 non saltim ne Legati securitati, verum etiam ne Domini digni-  
 tati officiat, ponderetur, ita ut aliquot saepe anni dilabantur, an-  
 tequam expeditio omnibus clausulis absoluta perficiatur, tot  
 exempla, & hodiè quoque praeliminaria Noviomagensia acta  
 commonstrant. Sed hanc materiam, utpotè in tot de Lega-  
 tionibus commentariis prolixè satis tritam, vel tetigisse hic suf-  
 ficiat ad alia festinantibus.

G 2

III.

(\*) De Legato ergo, qui ad peculiare quoddam negotium expediendum  
 mandatum accepit, quem *Extraordinarium* vocant, quæsieris:  
*An miscere se possit negotio sibi non commisso, forte nec prae-*  
*ditato?* Utpotè si quid per externum Principem vel Legatum agi-  
 retur, quod ad Domini sui commodum sive incommodum, decus  
 sive dedecus spectet? Et Resp. Liberè hoc illum posse imò & debe-  
 re, æquè ac si ad hoc quoque specialiter missus sit. Quemadmo-  
 dum enim inter Privatos Negotiorum gestor absque speciali re-  
 rum administrandarum accepto mandato, Domini res meliores fir-  
 mioresque reddere potest, non deteriores, *l. 1. ff. de C. de Negot.*  
*Gest.* ita & similis potestas Legatis non erit deneganda. *Mars. l. 2.*  
*D. 4.* (\*\*\*) Quandoque etiam Legatis saltem charta blanca seu  
 vacua traditur, imò parte nomine & sigillo Principis signata. E-  
 jusmodi Carolum Burgundiae Ducem Legatis suis tradere solitum,  
 ut quodcumque è re Domini videretur esse mandatum, huic chartæ  
 inscribere, & vi ejus omnia agere possent, testis est Comin. Com-  
 ment. lib. 1.

(a) Martel. de Legat. l. 2. Diff. 3.



III. Ubivis quoque tam intra quam extra Imperium, accuratè observantur *Præcedentia & Titulorum Curialia*. Undè cautè Legatis prospiciendum est, ne in Dominorum præjudicium quicquam admittant, cum illi ad quos mittuntur, suæ dignitatis conservationi vel amplificationi non parum studere soleant. Et meritò quidem præminentiam ac honoris prærogativam sibi vendicant Magnates & Principes, quorum proprium est de honore & gloria certare, (β) nec enim hoc moratorum repugnat gentium institutis, quin humilis potius & abjecti habetur animi, proprii honoris insuper habere jacturam. Hinc non heri demùm aut nudiùs tertius inter hos de Proœdria disceptari cœptum, sed antiquissimæ etiam Historiæ crudelissimis indè enatis, aliisque horrendis factis sunt repletæ. Inter ipsos quoque Procures Germaniæ quanta de Præcedentia usquequaque orta fuerint litigia, vel ex Recessibus Imperii colligi satis potest. Undè & plures in loco tertio convenientes Legati strictè observare solent, ut eadem inter se loca, quæ Domini invicem tenent, occupent: In quæstionibus enim de Præcedentia, si tantillum remiseris, totum perdes. (γ) Cum præsentè tamen Principe eodem Legationis Jure conspicuo concurrentes, priorem illi concedunt locum licet præ eodem Domino suo competat Proœdria, quod et extenditur, ut etiam Legati Principi ad quem mittuntur in Palatio suo cedant, quamvis exempla non desint, ubi Principes etiam in domo suâ ex civilitate Legatis velut hospitibus superiorem dederint locum, quæ tamen urbanitas in illorum trahi nequit præjudicium.

IV. Nec minùs *Tituli* accuratè observantur tam Dominorum, quam Legatorum ipsorum. Quoad Dominos sollicitè imprimis attenditur, qui cuique debeantur *honoris tituli*, quales sunt: *Majestatis, Regiæ Dignitatis, Serenitatis, Celsitudinis, Eminentie, Fratris, Consanguinei, &c.* de quibus singulis agere nimis foret prolixum. Astuto hanc in rem usus est stratagemate Cosmus, Magnus Hetruriæ Dux. Hic, mortuo Patre, sub specie firmandæ, quæ Parenti suo cum Germaniæ Principi-

(β) ut ait Mazarinius *Consil. 26. n. 4.*

(γ) *Crus. de Præmin. lib. 1. c. 1.*



cipibus intercessisset amicitiae, ad hos Legatos mittebat, reapse nihil aliud intendens, quam ut *Serenissimi* titulum Legatorum, calliditate ab incautis eliceret, sibiqve stabiliret; mandaverat enim Ministris suis ne aliter inscriptas acciperent literas. Res ex voto illis successit. Electoribus enim & Principibus Imperii pluribus palpum obtulerant, & persvaserant, ut sibi responsorias ad Florentinum, Dominum suum cum *Serenissimi* inscriptione darent. Solus Wurtenburgensis Dux artes illorum subolens in honoribus illis exhibendis parciolem se praebuit. Fufius hanc historiam Daniel Eremita, qui Legati Florentini Comes fuit, in Itinerario suo, & ex hoc Furstinerius c. 55. narrat, ubi subjicit: Italos his, quae Germani minuta & inania existimant, maxime invigilare, nec minus exultare syllabam vel passu obtento, quam urbe captam. Deinde etiam quoad Provinciarum titulos, quos Domini usurpant, notatu dignum, quod quamvis pluralitas titulerum non tribuat praecellentiam, (d) inter plures tamen ejusdem Provinciae ab alterutro tantum possessae titulum usurpantes Dominos magna saepe inde oriatur altercatio. Famosa satis est inter Sveciae Poloniaeque Reges ex hoc principio agitata controversia; nec desunt ejusmodi inter multos Germaniae Duces. Unde quando in conventibus publicis alterius Principis Minister inter Domini sui titulos litigiosos ejusmodi recenset, alterius Legatus quam sollemnissime solet protestari. (e)

V. *Legati* & quidem *primi ordinis* titulus quasi proprius hodie habetur *Excellentiae*. Olim *Excellentissimi* titulus summus erat, quippe quo Imperatores etiam & Reges Romano-

G 3

(d) teste Crusio *de Praecedent. lib. 1. c. 5. n. 15.* Ita brevissimum usurpant titulum Duces Brunsvico-Luneburg. idcirco tamen aliis longiore titulorum enarratione gavisis haud cedentes, de quo vid. Cranz. *lib. 8. Metrop. c. 15.*

(e) Ita in conventu Circuli superioris Saxoniae A. 1673. Lipsiae habito conclusum fuisse, ut sicuti haecenus omnes, quorum intererat protestationem interponi, in votis postremo eam reiterare consuevisent, ita in posterum saltem in primordio primi voti annexerent, quae deinde pro semper quasi repetita haberi debeat, ex relatione Dn. Praesidis, qui tunc temporis Illustriss. Comitum Stolberg. nomine conventui ipse interfuit, habeo.



rum insignitos reperimus; (2) & diutiùs adhuc inter Principes obtinuit, ac hodieum quidam minorum gentium Italiæ Principes eodem appellantur, quemadmodum & Germaniæ quendam Landgravium, ad cuius singularem gratiam benignus ante biennium mihi concedebatur aditus non Ipsum saltem, sed & illustriss. ejusdem Conjugem ambos à Ministris suis *Excellentiæ* titulo honoratos scio. Aliàs hodiè etiam Bellicis Ducibus, & primariis Status Ministris hic titulus tribuitur. In Legatis verò ejus originem ad Ludovicum Niverniensem ex Mantuana familiâ Ducem Henrici IV. ad Pontificem, Legatum referunt, quod cum hic, velut Princeps, *Excellentiæ* titulo usus esset, æmulatione motus Hispaniæ Legatus eundem sibi sumserit, quem Veneti & Sabaudi secuti, sibi ipsis prius invicem, quo ab aliis faciliùs obtinerent hunc honorem stipulati. Et licet ab initio Cæsariani atqve Hispani Sabaudos hunc honorem negarent, faciliores tamen se eidem præbuerunt semper Galli, tandem verò Papali Innocentii X. Decreto Sabaudis Florentinisqve hic titulus confirmatus, & hodiè omnibus cujuscunq; Domini primi ordinis Legatis conceditur.

VI. Speciatim jam *Exteriorum* priùs circa Legationes contemplabimur ritus, cum ab Exteris illa Legatorum discrimina inventa ac introducta, & illuc facientes ceremoniæ rigorosius hætenus observatæ sint. Illi ipsi autem, qui primi Ordinis Legatis præ aliis exhibentur honores in Receptione, Audientia, & Visitationibus maximè observantur. Quoad *introitum & receptionem* solennem in Gallia moris est, ut Legati adventum suum per *Introductorem*, uti vocant, *Legatorum*, significant Secretario illi Status, cui expeditio exoticorum negotiorum commissa est, qui porro Regi defert, & mandatum accipit, quo modo rituve recipiendi sint. Obviam deindè illis procedit ut plurimum usqve ad *S. Denis*, vel *Bourg la Reine*, vel *Rully* Introductor iste Legatorum, cui se associant Dux & quidam ex Paribus vel etiam Mareschallus Franciæ, interdum quoqve Exteri quidam Principes, Regis & Reginæ carpentis, alioqve magno curruum, eqvorum, Ministrorumqve apparatu stipa-

(2) Clotz. de *Titulis honorificis* c. 3. §. 22. c. 4. §. 8.



stipati, & tali cum pompâ illum concomitantur ad hospitium, ipsi destinatum. Quo simul ac advenit, nomine Regis ex præcipuis Camera Nobilibus quidam solennibus illum excipit ceremoniis, nec minùs iussu Regina, Fratris ac Sororis Regis aliorumque Regii sanguinis Principum, per primarium quendam aulae suae Ministrum consveta ipsi deferuntur curialia. Sed hunc solennem receptionis honorem Gallia hæctenus Electorum aliorumque Germaniæ Principum Legatis denegavit. Unde Bavariæ Electoris A. 1638. Lutetias missi Legati Comes de Groensfeld & Dn. Curtius, quum illis debitus hic honor non exhiberetur, incognitò intrare malebant, aliam à Domino suo instructionem expectantes, qui mandabat illis, ut omisso caractere repræsentatio, Alegatos agerent, ut sic sine Domini præjudicio liberiùs vivere, & nudato capite coram Rege versari possent. (n) Eisdem verò ceremoniarum ritus Galli nec Sabaudia nec aliis Italiae Principibus, quibus tamen præter æquitatem majores quam Germanis honores concedunt, exhibent, solos Regios ac Venetæ, Batavæ Helvetiæque Reipubl. Legatos dicto modo cum pompâ recipientes.

VII. Parisiis Lutetiæ porrò idem, qui introeuntem Legatum excepit, eundem plerumque ad audientiam deducit. Advectum deinde excubiæ centumque Helvetii satellites ab utroque latere armati expectant, stantesque in suis stationibus illorum Præfecti consveto more honorant. Ad audientiam tandem conclave introductus Legatus ternis vicibus inclinato corpore Regiam Majestatem veneratur, postea verò ad Regis iussum caput operit, & simul statim præsentibus Principes se tegunt, quod ipsum hi Principes & Pares Gallia non ausint nisi in præsentia Legatorum, aliter quam in aula Hispanica, ubi nonnullis Magnatibus semper aperto capite cum Rege colloqui licet. Adstantes tamen Regi Proceres illos Legatus ne salutet quidem, quum minùs honorificum Rege præsentibus hoc putetur. Hic verò præcipue apparet maxima illa cere-

monia-

(n) *Memoires touchant les Ambass. p. 77. ubi p. 464. etiam narrantur admodum solennes illæ ceremoniæ, quibus Helvetiorum Legati Ao. 1662. recepti sint.*



moniarum in Gallia usitatarum irregularitas. Italiae enim, Principum Legati facili negotio obtinuerunt, ut coram Rege Christianissimo caput operire sibi liceret. Quamvis verò hi ipsi sine controversiâ Electoribus cedant, attamen, quemadmodum nec reliquorum Germaniæ Principum, ita nec Electorum Legati hætenus idem impetrare potuerunt, quibus tamen coram Imperatore se tegere concessum. (9) Sed Legatis honorem hunc denegari fortè non tantoperè mirandum, quàm, quod Aulæ Gallicanæ Ceremoniarum Magistri quondam deliberaverint, an ipse fortissimus ille Saxo-Vinariensis Dux *Bernhardus* Ao. 1636. Regem invisurus, præmonendus esset, ne coram Rege caput tegeret, & tandem hoc supervacaneum duxerint, credentes, illum tale quid ne quidem proprio motu ausurum. Ast magnanimus hic Heros simul ac Regem caput operire vidit, statim nec ipse se tegere intermisit, non sine magnâ Regis indignatione, Ministrorumque stupore. Ast Dux postea dixisse fertur, debere Regem intelligere discrimen esse, inter Gallicanos & Germaniæ Duces, qui Reges sint in suo territorio.

IIX. A Galliarum Rege & Regina auditi Legati, illius deinde Fratrem Ducem Anreliacensem, ceterosque Regii sanguinis Principes visitare solent. Condæum olim Principem ad se ita venientibus Legatis omnes suos Nobiles ad carpentum usque in occursum misisse, ipsum verò ad scalas eos honorificè excepisse, honoratiorem locum dedisse, discedentesque rursus ad carpentum usque concomitasse, non prius reversum, quàm, avectos vidisset; hodiè verò parciorem in ceremoniis esse, ferunt. Alias verò si alicubi plures morantur Legati, pro Regula quasi habetur, *quod novissimè adventanti primæ visitationis honor à cæteris sit exhibendus.* In ejusmodi verò Legatorum conventibus æquè sollicitè singula observantur curialia, præcipuè ut visitatus visitantem in introitu ædium excipiat, ei dextram, præcedentiam ac superiorem semper locum concedat, & abeuntem ad currum rursus comitetur. Subsistentes verò in eadem aulâ diversorum inter se discordium Domino-  
rum

(9) Vid. infra. §. 16.



rum Legati omnem concurrendi occasionem vitare solent, quod si tamen ex improvise conveniant, sibi invicem ex generoso animi proposito nihilominus hostilitati Dominorum non adversantes urbanitatis notas exhibent.

IX. Sed quemadmodum communis ceremoniarum Mater ROMA habetur, ita quoque non inconveniens erit ibidem exactissime excultas ceremonias paulisper perpendere. Ipse Pontifex, ob personæ suæ sanctitatem rarissime se ipsum compelli patitur. Hinc simul ac novus electus est Papa, ex consanguineis suis, quos Nepotes vocant, quempiam in Palatium recipit, qui illuc venientes audiat, illorumque verba ad Pontificem referat, qui inde *Cardinalis Nepos*, vel *Nepos Patronus* dicitur, quo officio apud Innocentium X. ejusdem Fratris Vidua Donna Olympia fungebatur. Quod si verò Legati ab ipso Pontifice audientiam petant, hinc sanè rigorosè nimis Regii Legati à Ducalibus quoad audientiarum conclavia distinguuntur; Regiis enim Ministris Papa in atrio Regio, (*nella sala Regia*) Ducalibus verò Legatis in atrio Ducali (*nella sala Ducale*) aures præbet, & illum atrii Regii honorem à Pii IV. Pontificis temporibus etiam Oratores Veneti adepti sunt. Comparet autem tunc Pontifex magnifico habitu in solio tres gradus elevato, sub uranico purpureo multo auro picto. Hujus deinde pedem aureâ cruce vestitum Legatus flexo genu osculatur, ac tum ad Pontificis jussu in sellâ dorsuali destitutâ sessum capit, in quo Cardinales prærogativam obtinent, quibus & caput operire, & in sellâ reclinatâ & ansatâ sedere fas est. Illustri autem sceminæ coram Pontifice non sella, sed tria invicem strata pulvinaria conceduntur.

X. *Cardinales* quoque anxie & religiosè satis cavent, ne cui plus, quàm consuetudo fert, honoris exhibeant, nec tamen ejus intermissione quem offendant. Hinc si ignotus, quem tamen illustrem personam reputant, aditum postulet, Cardinales lecto prostrati audientiam ei commodare solent, debilitatem quandam valetudinis simulantes, ne ignoto hospiti sive debito plus, sive minus honoris obtulisse incusari queant. Quod stratagema quoque non ita multis ab hinc annis Parisiis

H

obser-



observatum, ubi foeminas nonnullas illustres aditu ad se  
qvarentem Comitem aliquem Legati Regii caractere vesti-  
tum in lecto procumbentes admisisse, ne exeuntem comitari  
tenerentur, audivi. Sed si Cardinales solenniter se visitaturos  
Legatos velint excipere, quodammodo & hi inter se distin-  
gvunt Ducales à Regiis Ministris ( quibus Nepotes Papæ quo-  
ad honoris exhibitionem comparantur ) & hos iterum ab ipsis  
Ducibus & Cardinalibus, & obviam illis prodeuntes singulo-  
rum honorem certis gressibus dimetiuntur. Introducto enim  
à Domesticis & Nobilibus Legato Ducali Cardinalis ad dimi-  
dium usque secundæ camerae, Regali per duo vel tria concla-  
via, pro ædium conditione, Duci verò vel Cardinali alii in a-  
trium famulorum, quandoque verò ad scalas usque occurfat,  
ibi que illos honorificè excipit. Noviter item creati Cardina-  
les diversimodo vestimentorum habitu se visitantibus compa-  
rent, & aliter vestiti Regios, aliter Ducales Legatos admittunt.  
Solent autem Legati Cardinales visitaturi omnes convocare  
amicos & Clientes præcipuè conterraneos suos, ut se solenni  
pompâ & apparatu ( quomodo Legatum Hispanicum rarò nisi  
vel centum carpentis stipatum prodire ferunt ) comitentur,  
quod cum *corteggio* prodire vocant. Et quando talis Lega-  
tus cum corteggio expectatur, in Cardinalis palatio tam diu  
pulsatur campana ( quod tamen in Pontificis viciniâ habitan-  
tibus non conceditur, uti nec reliquorum campanæ 200. pon-  
do gravitatem excedere debent ) donec præfens sit expecta-  
tus. Discedentem rursus Cardinalem vel Ducem visitatus ad  
carpentum, Legatum verò ad scalas usque concomitatur. In  
Pontificis verò Palatio habitans Cardinalis neminem usque  
ad currum sed non ulterius, quam per conclave suum sequi-  
tur.

XI. Ad Imperium nostrum Romano - Germanicum,  
jam revertimur in ejusdem conventibus congregatos Princi-  
pum Germaniæ Legatos consideraturi. Statim autem nota-  
mus, Quemadmodum olim in Germania ante Pacificationem  
Osnabrugensem scrupulosæ illæ Legationum solennitates pe-  
nè incognitæ erant, ita hodiè quoque paucissimas adhuc illa-  
rum



rum in Comitibus aliisque Imperii conventibus receptas esse, quas ipsas quoque ab Italis ad nos derivatas radicibus extirpandas suadet Sprengerus (1) Præcipue nec illa ipsa inter Legatos & Ablegatos nova discrimina in Imperii consessibus recepta sunt, cum potius ibidem congregati Statuum Ministri singularem speciem Magistratui aut Senatori simile quid habentem constituent, & Deputatorum nomine magis proprie venire videantur, quamvis propterea Exterorum Legatis inferiores habendi non sint, sicut & Exempla testantur, missos à Cæsare Deputatos Regum Legatis hoc nomine minimè cessisse.

XII. Hinc etiam illa ipsa olim in tractatibus Pacis Westphal. de *Excellentie* titulo inter Electorales Principalesque Ministros nata controversia, originem duxisse videtur. Quum enim in illo Conventu Contarenus, Legatus Venetus *Excellentie* titulum, aliasque primi Ordinis Legatis apud Exteros deferri consuetas ceremonias & prerogativas affectaret, & illi eadem communi consensu plenarie tribuerentur, Electorum Legati ne deterioris viderentur conditionis eadem sibi postulabant. Ab antiquis enim temporibus Imperii Electores cum Republ. Veneta de Præcedentiâ concertarunt, nec absque ratione, quum hanc jam olim obtinuerint, & quondam Austriaci ac Florentini, itemque in Concilio Tridentino Bavari Legati sessionis ratione Venetis litem moverint. (2) Non ergo Electoralibus adversati sunt Cæsarei Regique. Opposuerunt autem se Principes Imperii, ex eo fundamento, quod quemadmodum in Comitibus, ita & in aliis Imperii conventibus Novitates non essent introducendæ, nec Exterorum circa Legationes excogitatae ceremoniae admittendæ; cum ergo ibi institutus esset conventus Statuum Imperii, Exterorum gratia, qui ibidem intervenissent, à veteri forma recedendum non videretur. Contendebant ergo Principes, in illo ipso conventu Statuum Ministros proprie neque pro Legatis, nec Ablegatis, sed Deputatis, neque tamen propterea Exterorum Legatis Minores habendos, quum in tali conventu ipsius quasi Reipublicæ

(1) *Lucern. Imp. pag. 73.*

(2) *J. A. Crus. de Praemin. lib. 3. c. 12. n. 3. & 4. it. 2. 2.*





gubernaculi partes constituerent. Unde & Principes suis Ministris non committebant, ut ipsi quoque Excellentiae titulum sibi sumerent, sed saltem prohibebant ne Electoralibus exhiberent. Sed haec ipsa dubia nec dum plane sopita indigitat Herdenus (λ) qui idcirco Legatos Electorales & Principales in Comitibus raro convenire testatur. Aliorsum vero extra Imperii conventus missis primi ordinis Legatis, tam Regum quam Principum Excellentiae titulum offerri, hodie extra dubium est, quum & Romae, ubi Regales Ducalesque Legatos certo modo distingvi notavimus, quoad Excellentiae tamen titulum nulla inter illos agnoscatur differentia. Licet enim quorundam Dominis Majestatis, aliis Serenitatis titulus competat, idem tamen in Legatis discrimen adeo strictè non attenditur, quemadmodum & Caesarii Legati Electoralibus Ducalibusque superiorem quandoque in sua domo concesserunt locum, quem tamen ipse Imperator praesentibus Principibus non tribueret.

XIII. Quamvis etiam sicuti in Exteris, ita & in Germania Principum aulis, solennis Legatorum introitus non infrequens, ubi nempe Princeps simul ac eidem appropinquans Legatus adventum suum intimat, obviam ipsi mittit primum quendam Ministrum, Domini carpento vectum, aulicis nonnullis Nobilibus associatum, famulisque, satellitibus, & alio apparatu, ac pro diversa Status & circumstantiarum ratione, modo majori, modo minori pompa stipatum, qui illum ad destinatum deducat hospitium, ubi plerumque primis aliquot diebus donec admittatur, ad audientiam sumtibus Principis liberaliter tractatur: In Comitibus tamen & haec quoque solennitates intermittuntur.

XIV. Urbem etenim, in qua Comitibus habentur, Legati sine solenni pompa intrant, & Moguntino dein Directorio & Imperii Mareschallo statim praesentiam suam intimant, coram illo quidem exhibitis literis Credentialibus & mandatis, quorum originalia, retenta copia vidimata, illis remittuntur personam suam legitimantes. Quum vero antehac indifferens habe-

(λ) in der Grundf. p. 2. c. 6. p. 59. conf. Sprenger. Lucern. p. 52.

(μ) Du. de Seckendorff. im Teutschen Fürsten Staat.



haberetur, an ipsi Legati Credentiales suas Moguntino offerre, an per Secretarios eidem mittere vellent, (v) nuperrimè de-  
mum sub superioris anni exitum hanc libertatem Principum,  
Legatis in dubium vocare Moguntini adnitebantur. Ast au-  
gustissimâ S. Cæsareæ Majestatis mediatione d. 6. April. hujus  
A. 1678. pro dignitate Principum, eorumqve libertate & juri-  
bus salvis manentibus, hæc controversia jam sublata est.

XV. Principali deindè Cæsaris Commissario Legatus  
per Secretarium adventum suum significare, *Credentiales* suas,  
mittere & visitationem offerre solet. Hic à quibusdam Sta-  
tibus Ratisbonam missum Deputatum A. 1663. retulisse nota-  
vi, Legatos Ducales si Cæsareos visitarent, ab horum Nobili-  
bus & aulicis ad portam ædium, ab ipso verò Principali Com-  
missario in anticamerâ excipi, & in intimius audientiæ con-  
clave deduci. Ducalis verò cujusdam Ministri ex Francofur-  
tensi quondam Deputatione A. 1655. transmissa relatio me do-  
cuit, longè majores eidem exhibitos honores; ipsum scilicet  
Commissarium Cæsareum ad extremam portam nudato capi-  
te obviàm sibi prodiisse, sibiqve manum & passus honorem, ac  
superiorem semper locum concessisse. Undè fluctuare has  
ceremonias nec certi quippiam de illis definiri posse colligo.

XVI. Quod si verò uti olim plerumqve factum ipse  
Imperator in Comitibus præsens sit, & Princeps quoqve ipse  
ibidem compareat, Hic statim per primarium quendam Mini-  
strum Supremo Cæsaris Cubiculario adventum suum signifi-  
cat, & ab eodem, ut colloqvii horam ab Imperatore sibi præfi-  
niendam procuret, petit. Ubi quandoq; ipsam Cæsaream  
Majestatem Ministrum Principi suo audientiam petentem ad  
se duci jussisse, meminit Herden. (Æ) Apparente præfixâ ho-  
râ Princeps tribus pluribusve sejugis carpentis, interdum verò  
vel unico saltim curru, præcedentibus Nobilibus, Baronibus,  
& Comitibus, ipsum verò Ducis currum 12. satellitibus, 10.  
pueris nobilibus totidemqve cursoribus undiqvaq; cingenti-  
bus, magna cæterorum famulorum turbâ illos insequente, ad  
Cæsaris usqve Palatium provehitur, ibi famuli à pedibus in

H 3

atrio

(Æ) in der Grundf. part. 1. c. 6. p. 51. (v) Spreng. in Lucern. c. 1. pag. m. 80.





atrio Satellitum, Nobiles in Equitum conclavi, Illustres Personæ in priori anticamerâ remanent. Et huc usque Principem, à cubiculariis aliisque Ministris, qui illum ad carpentum expectaverant, concomitatum, dictus supremus Camerae Comes excipit, ulteriusque ad conclave Cæsareum ducit, & ipse aulaa removet. Cæsar denudato capite aliquot passus Principi obviam procedit, manum præbet, ipsumque caput tegere & federe jubet; Princeps capto fessu verba facit caputque operit; cui Cæsar paucis respondere solet. Finita primâ hâc visitationis solennitate discedentem Principem aliquot passus Cæsar concomitatur, supremus deinde Camerae Comes per conclave Equitum, reliqui verò Camerarii & Ministri ad Carpentum usque deducunt. Solent & Imperatricem Principes invisere, ubi eadem ferè obtinent solennia. Ibi enim Princeps à supremo aulae, vel Stabuli Magistro in anticamerâ excipi, & introductus ad Imperatricem præmissis curialibus, auctoritatis suæ testandæ gratia caput operire, at civilitatis ergò rursus denudare & ita verba sua proferre solet. Legati quoque Principum, ab Imperatore præsentæ audientiæ horam humillimè expetere non intermittunt, unico tamen carpento se iuge illuc provehi soliti. Cætera verò curialia hic eadem plerumque, quæ in Principum præsentia, observari, eundemque ferè honorem, Legatis, qui Dominis exhiberi consuevit, tribui, auctor est Herden (o) an verò Legati se tegant coram Imperatore, quemadmodum ipsi Principes certo mihi nondum constat, probabile tamen videtur, quum de Electoralibus legerim (π) quod in Comitibus A. 1663. Imperator illos iusserit se tegere.

XVII. Reliquum tempus, donec publicè propositio fiat, Visitationibus & Revisitationibus inter Legatos invicem impenditur, ubi accuratè observatur, ut visitatus visitantem in aditu ædium excipiat, & eidem potiore locum incessus & sessionis tribuat. Nam inter Principum invicem Legatos strictè admodum observatur, ut novissimè adventanti, simul ac cæteris præsentiam suam significaverit, primus visitationis honor habeatur. (ρ)

XVIII.

(o) in der Grundf. p. 1. c. 6. p. 50.

(π) Sprenger, in Lucerna c. 1. p. 9. (ρ) id. pag. 72.



XIIX. Terminum solennis propositionis in Comitibus ipsa Cæsarea Majestas, in ejusve absentia Commissarius præstituit, illumque per Mareschallum Imperii Statibus intimat. Tunc Cæsarem, si præsens, aut Commissarium ejus Principalem, principes & Status præsentiumque Legati & Deputati ex Palatio suo in templum, inde in Curiam, & peractis peragendis rursus in Palatium suum comitantur Processionem ipsam cum alii (σ) prolixius referant, ad meum vero scopum propriè non faciat, repetere huc nolo. Quæ in comitiis particularibus seu conventibus circularum obtineant solennia Dn. Præses in suo de Conventibus Circularum tractatu, pluribus exposuit, quò Lectorem remitto.

XIX. Denique de Præcedentia Legatorum in Comitibus adhuc notandum, ibi eundem modum, quem alibi receptum esse diximus, observari, ut scilicet *præsenti Principi absentium Legati cedant, inter se invicem tamen in loco tertio, quilibet Domini sui locum occupet.* Ita cum A. 1653. in Comitibus Ratisbon. solus Electorum in ordine octavus Carolus Ludovicus, Comes Rheni Palatinus, præsens esset, huic tamen omnium reliquorum Legati cedebant. Quum tamen Electores & Principes diversa constituent Collegia, idcirco hæc limitatio hic adijcienda, quod ubi totum Electorum Collegium præsentatur, absentium Legati à præsentibus avelli nequeant, undè illo in casu præsentibus Principibus Electorales Legati præcedunt, quamvis in Coronatione Caroli V. non attentâ hæc ratione Wilhelmus Clivensis Dux Electoralibus Legatis noluerit concedere præcedentiam. Ubi verò Electorales Legati non ut collegiati, sed ut singuli cum Principibus concurrunt, præsentibus Principes illis non cedere, sæpius inculcavit Auctor *der Grundfeste* (τ) In Comitibus quoque anno 1641. antiquæ prosapia Principum Legati præsentibus noviter creatis Principibus noluerunt cedere. Quem autem finem ista concertatio sit consecuta, fateor, me adhuc non satis percepisse.

XX.

(σ) *Laudatus Auct. der Grundfeste p. 2. c. 2. Spreng. Lucern. c. 1. Auct. der ickigen Welt Schaubücher part. 2. 1. Fürstellung. 6. Tafel.*

(τ) *Præcipue p. 2. c. 5. ubi Memorialia Cæsari id propter exhibita refert.*



XX. Ipse Imperator in receptione Legatorum Majestatem suam nusquam magis ostentat, quam sicubi Principum, Ministros ad petendam feudorum majorum, Ducatum, Principatumve investituram delegatos audit. Quas ceremonias plenius narrare constitueram; Sed cum postea integram Saxonorum Legatorum ad hac solennia missorum relationem in satis noto & celebri Dn. Ben. Carpzovii tractatu (v) expressam animadverterim, Lectorem illuc remitto, & ceremoniarum simul enarrationem abrumpo.

v ad Leg. Reg. German. cap. 10. sect. 9.

## CAPUT V.

DE

# QUALITATIBUS LEGATI, EJUSDEMQUE INVIOLABILITATE.

SUMMARI A.

1. Remissio ad Autores, qui de Qualitatibus Legatorum scripserunt.
2. Prudentia desideratur, quæ eruditione & experientia constat.
3. Personæ Illustræ quatenus apti existimentur ad obeundas Legationes.
4. Dissimulandum est Legato.
5. Taciturnus sit Legatus atq; temperans.
6. Inviolabilis est Legatus.

I.

Vereor ne post Homerum Iliades scribam, id est, post tot Scriptores, qui de istâ materiâ integros libros (a) edidère, eorum scrinia me compilasse existimer, qui certum potius argumentum ad differentum, non ut integrum tractatum ederem, e-

legi

\* Vid. Marsalaer de Legat. Diss. 10. & seqq. usq; ad fin. lib. 1. item Kirchner. aliosq; de Legatis In specie quomodo comparati esse debeant ad Comitia mittendi, de hoc in Comitiiis 1641. consultabatur, vota & conclusum vid. ap. Londorp. Contin. P. V. l. 1. tit. 15. p. 716.



legi. Equidem Octavianus J Crus (a) certis coloribus depingit Legatū sed talem, q̄ualis potius optandus videtur, cū ad unum omnes q̄ualitates in gradu excellentiori vix cadant in hominem.

II. In primis *Prudentia* desideratur in Legato, q̄væ non solā doctrinā, sed experiētiā comparatur. Literarum enim studia & eruditio publicis negotiis habilem q̄vem reddunt, non tamen semper doctissimi etiā prudentissimi & rebus civilibus aptissimi sunt, q̄vippe q̄vi nimis ac otiosis contemplationibꝯ se abdunt, ac minus curant splendorem aulicum, nec circa nova atq̄ve publica negotia ita uti decet sunt solliciti, q̄vod tamen in Legato requiritur, q̄vi in perpetuā debet esse actio; neque reformidare homines, sed lucem appetere debet. (γ) Legationibus ergō aptiores existimantur q̄vi non nimis in literis se abdiderunt, sed q̄vi simul ad aulicam vitam, præprimis exotericarum lingvarum, Gallicæ, Italicæ vel Hispaniæ cognitione, se præparaverunt. Nulla enim hodie in Germania aula est, q̄væ talibus in certis negotiis expediendis, non optus habeat, q̄vum non omnia, ut Nostrates sibi persuadent, in sermone latino sint abscondita. (δ) Si tamen Erudito Legatio committatur, optimè sibi consulere puto, si simulet profundam suam eruditionem, nec omnes, q̄vas animo absconditas habet argutias, cuivis prodat.

III. Illustres personas plerumq̄ capaciores esse ad obeunda certa quædam ceremoniarum solennia, uti nuptialia, baptismalia, funebria &c. ubi mutuatā lingua loquantur & saltim splendorem & magnificentiam Domini mittentis observare necessum habeant, adstrunt nonnulli. Licet enim ortu & simul propriis meritis illustres ad quascunque functiones obeundas sint aptissimi, non tamen semper hæc conjuncta reperiantur, atque tum utiliores reipubl esse possunt, qui propriis factis se illustres reddiderunt, nihil majoribus, nihil fortunæ debentes, quàm qui solā generis nobilitate sunt conspicui.

IV. Et cum tota prudentia politica consistat in cognitione temporis, rectoque ejus usu, citius enim quandoque navigantes ad stationem adducit tempestas, quàm tran-

(a) lib. 2. tract. de Legat. sub init.

(γ) Aut. des Memoires touchant les Amb. p. 11. Il est difficile, que ceux qui sont continuellement dans les livres, ne contractent quelque chose, qui tienne du pedant, c' est à dire une q̄ualité incompatible avec celle de Ministres, qui doit tellement pencher de l'autre costé &c.

(δ) Lebleu de Instruct. futuri Consiliarii. cap. 5.



quillitas; noverit Legatus si negotia non ex voto forsitan semper tractari possint, ea prudenter atque per *dissimulationis* anfractus temperare, ea usque quoque suspendere, donec tuto ipsi navigare liceat. Sicuti enim provido rei nauticæ Gubernatori non semper contingit panis velis remisque micantibus portui allabi, sed commodâ aliquando velificatione obliquisque utendum est cursibus: (e) Ita cautelam Plutarchi sequatur, qui suggerit, ut subinde simulemus placere aliquid, quod displicet, & displicere, quod placet, quo compertus fiat alterius animus.

V. Inter ea quibus pollere debet Legatus, non infimum est silentium, & ut consilia ipsius fidei commissa in secreto habeat. Nulla enim consilia meliora sunt, quàm illa, quæ vel adversarii vel in præjudiciali negotio amici ignoraverint. (f) Propterea *temperantiam* amet & caveat vino liberius uti. Quemadmodum enim musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in summam partem vis caloris eiecit: sic vino exæstuante, quicquid in imo jacet, abditum, effertur, & prodit in medium: oneratiq; mero, quemadmodum non continent cibum vino reduntante, ita ne secreta quidem, sed quod suum alienumq; est, pariter effundunt. (g)

VI. *Inviolabilitatem* Legatorum quod attinet, Nomen Legati ejusmodi esse debet, ut non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela versetur incolume, ait Cicero, (h) cui consonat Pomponius Jctus (i) si quis, inquam, Legatum hostium pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur: quia *sancti habentur Legati*. &c. Ex eo enim quod Legatus Principis sui personam repræsentat, consecrarium est, quod sit inviolabilis, adeo ut offendere, occidere, contumelia aut damno afficere eum non magis liceat, quàm ipsum Principem.

Hæc pluribus esset differendum (k) & an ad omnes Legatos cujuscunq; generis pertineat inviolabilitas, disquirendum; Verùm literæ avocatoria prohibent ulteriorem deductionem. Hisce ergo contentus hæc vice sis Lector benevole, & calamo præcipitanti  
veniam concede. Tantum!

(e) Thom. Mor. in Utop. lib. 1.

(f) Veget. d. re milit.

(g) verba sunt Senecæ Epist. 83.

(h) Orat. 3. in Verrem.

(i) L. 17. ff. de Legatione.



S. P.



*Ria lustra effluxerunt cum dimidio, Nobilissime KNORRI, quòd Domino Parenti tuo, viro, dum viveret, Magnifico, pietate ac prudentia incomparabili, Potentissimisque Ducibus Brunsv. Lüneburg. à Consiliis ac Illustris Regiminis, quòd est in Grubenhageniaco Ducatu Directori splendide merito, innotuerim, atque ab Ipso rerum forensium, in primis causarum Spirensium, callentissimo, quid in judiciis ab homine practico observandum sit, magno cum fructu, quòd grato post Ipsius cineres agnosco animo, hauserim. Observabam autem in Ipsius domo omnia prudenter disposita. Tres ipsi erant filii, egregia sanè indolis, quorum Tu natus miminus es: Nullis parcebatur sumtibus, quòd vera discendi methodo tam sublimia ducerentur ingenia. Natus, maximus postquam in hac Academia per aliquot annos vixisset, studiis politicis probe imbutus, ac Mathematicam in primis scientiam singulariter instructus exteras terras visitans militia animum applicabat, atque in eam honorificam Capitanei spartam merebatur. Accidebat, ut summis in Aula Caesaris Vienna Viris commendatus cum Legatione Imperatoria ad Ottomannicam portam abiret, ubi, prout ipsius erat ingenium, non ades aut homines nude aspexit, sed, sicuti scrinia ipsius testantur, arcana statim accuratè annotavit. Feliciter reversus contra Gallum militabat, ac tandem in obsidione Philipsburgica fortiter occubuit, cuius memoria in aeternum per gloriam vivit. Natus medius, in quo inusitata ingenii semper elucebat bonitas, Theologiae ita se mancipabat, ut postmodum, egregiis Academicis speciminibus editis terrisque exoticis visis summos in ista Facultate honores adeptus Ecclesiarum in incluto Grubenhageniaco Ducatu Directio, tanta dignitate par meritissime Ei collata fuerit. Nolo jam commemorare Avunculum tuum, Illustrissimum Heroem, quem Casarea Majestas variis ad diversos Reges ac Respublicas legationibus defunctum incluto Baronum Ordini magno suo merito clementissime ascripsit; Ut hinc aures tuas non possit non personare illud:*

*Te Pater Æneas & Avunculus excitet Hector.*

*Neque dubium est, Te eam viam, quae ad gloriam ducit certissimo, aequè magnos honores, ad quos evolutus ductus celeri cursu tendis, adepturum, atque immortale splendidissimae familiae tuae decus fore; quippe in*

*Aca-*



AKT 1954

Academiis per octennium versatus, ea, quae vulgus aestimat, aliter con-  
tempsisti, quaeque contemnit, aestimasti, atque ita nobiscum in domo &  
mensa una vixisti, ut neque domi neque foris tui vel nos vel quem-  
quam poenitere debeat; De Te verè illud Comici dicitur: Sic vita erat,  
facile omnes perferre ac pati, cum quibus erat, cumque una:  
His sese dedere, eorum obsequi studiis, adversus nemini, nun-  
quam praeponeus se illis, ita ut facillimè sine invidia invenias  
laudem, ac amicos pares. Antequam autem peregrinationem,  
quam cum Deo Tibi proposuisti institueres, egregium solertia ac iudicii  
monumentum de Principum Germaniae Legationibus, materiam  
satis gravem, proprio Marte edere placuit; de quo instituto sane ex a-  
nimo gratulor Tibique acclamo:

I bone, quò virtus tua Te vocat, i pede faustol  
Faxit Deus Ter O. Max. ut itineribus cum laude perfunctis, apud Magna-  
tes brevi, qua in Te scientia juris ac politicae doctrinae est, messem pro  
merito facias. Interim mei rectè memor vive, Tibi ego, si quid o-  
pera in posterum à me praestari potest, id omne polliceor, ac defero am-  
plissimè. Vale & Dn. Fratrem, Virum honoratissimum, meis verbis  
officiosè saluta. Jena d. 8. Septembr. an. 1678.

Tuè

perpetim studiosissimae

P. Müller, D.

Witt

8-





M. M. II, 119.  
h. v. 16.

PR

LE

DN. PH  
Prof

HENN

II R  
1954

VM

E

BVS,

ERIJCti,  
nfilarii

KNORN.  
IX.

